



Universitätsbibliothek Paderborn

Margarita Evangelica

Essche, Nicolas van

Coloniae, 1545

Quartus. Habet meditationes & orationes feruentes, quibus per triplicem
viam sanctorum, videlicet purgatiua[m], illuminatiuam & vnitiuam ad
Deum redire, eiq[ue] nos vnire valeamus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49323)

MARGARI
TAE EVANGELICAE
Liber quartus.



IN supraposito libro tertio le-
ctor pie multas ex D. Augu-
stini meditationibus & solis
loquijs, aspirationes feruens
tes, & iaculatorias (vt vocant)
orationes, autor libri in suo archetypo ap-
posuerat. Quas idcirco omisimus, qa me-
moratos D. Augustini libellos vbilibet in-
ueniri posse minime dubitamus. Ad quos
etiam te remittimus: hortantes nihilo mi-
nus, vt in illis aut similibus oratiõibus fer-
uidis, & desiderijs amorosis ad Deũ emit-
tendis, te nõ ignauiter exerceas, donec ad
vñionem Dei amorosam pertingas, & vs-
nus cum Deo spiritus fias. Ne tamen libri
partem detruncasse videamur, curauimus
hic nonnullas eiusdẽ spiritus, de triplici il-
la sanctorũ via (videlicet purgatiua, illumi-
natiua, & vñitiua) precandi formulas & di-
rectiones ex sanctorũ dictis adncere, quis
bus velut per compendium valeas in Des-
um redire.

LL v AP.

APPENDIX

LIBRORVM PRAEEDEN-

tium, qui & pro Methodo haud poenitenda in
viam illam triplicem amicorum Dei, scilicet
purgatiuam, illuminatiuam & vnitiuam
deducente, & etiam ad sacratissimam Eu-
charistiae accessum disponente
merito censeri debet.

De XV. incitamentis diuini feruoris.

Cap. I.



Vandoquidem in nulla trium har-
rum viarum quis proficere potest
absq; feruenti desiderio, & perseue-
ranti vsu ac exercitatione, in eisdem
vijs, ob oculos ponenda tibi vtile
existimaui incitamenta quaedam ac stimulos ex
sanctorum & deuotorum patrum monumentis
desumptos: qui & hisce tribus versiculis com-
prehensi sunt.

¶ Dignus, fert, madauit, donat, multa spopōdit.
Virtus, exempla, peccata, pericula, tempus.
Hostes, iudicium, poenae, mirabile, spectant.
Quae paucissimis hic verbis explicata, tu pro-
fundius ruminato. Dignus Id est, attende, quod
cum Deus sit summum bonum, &c. quod quum
Deus sit summum bonum, dignus sit diligi amo-
re infinito, propter suam infinitam omnipoten-
tiam, sapientiam, bonitatem, pulchritudinem, et
alias perfectiones. Et ideo quantumcumq; eū di-
lexeris, modicum est ad id, quod debes. ¶ Fert, id
est, quot & quantos dolores, angustias, poenas,
vulnera,

LIBER III.

vulnera, supplicia, & opprobria, & tandē mortē acerbissimā pro te perpeffus fit. ¶ **Mādaui** scilicet iudex summæ autoritatis tibi p̄cepit, vt oīa peccata fugeres, & ipsum totis viribus diligeres. ¶ **Donat** vide quot & quanta in te cum lauī beneficia in corpore & anima, paterna tibi fidelitate omni momento prouidendo. Pro quibus absq; intermissione teneris gratias agere. ¶ **Multa sponddit** tibi æterna gaudia, in corpore & anima, innumera & maxima, pro modico labore. ¶ **Virtus** q̄ speciosa, iucunda & nobilis sit in seipsa. Et e regione, q̄ deformis, tristis & vilis culpa. ¶ **Exempla** sanctorum, qui feruenter mundū, carnem & diabolum vicerūt: & mira pro Christo fecerunt & sustinuerunt, licet homines essent vt tu. ¶ **Peccata** tua q̄ multa & graua sunt, quæ Deus tibi clementer dimisit, si gratus inuentus fueris. ¶ **Pericula** quæ tepidi incidunt, qui non toto conatu suo vt tenentur, ad perfectionem tendunt, propter quæ tam multi deficiunt. ¶ **Tempus** gratiæ quam preciosum sit, q̄ breue & incertū, in quo mereri possumus: quod amissum recuperari non potest, de quo stricte tam exigemur reddere rationem. ¶ **Hostes** qui nos incessanter ad perditionem sollicitant: videlicet mundus occasiones offerens, caro infirma non resistens, & diabolus tentans. ¶ **Iudicium** Dei quam seuerè puniet singula peccata, parua & magna, quæ hic per poenitentiam delere negligimus. ¶ **Pœnæ** purgatorij & inferni, quam intolerabiliter graues, diuersæ, immanes, diuturnæ sint: quæ pro momentanea delectatione infliguntur. ¶ **Mirabile** & quam occultum sit iudicium Dei, qui multos

MARGARITAE EVANG.

multos in oculis hominum laudabiles finaliter reprobant. Ideo quisque cum timore & fervore suam debet salutem operari. ¶ Spectant & expectant nos omnes & sancti angeli, imo Deus ipse: ut viriliter certantes, ad illorum requiem ingredi festinemus. Si quis hæc, quæ diximus, incitamenta vel eorum aliqua non segniter quotidie in animo versauerit, nisi ferream habuerit mentem, ad emendatiorem mox vitam extimulabitur.

Ut quis purgetur a peccatis, redeatque cum Deo in gratiam per viam purgatiuam, praxi succincta. Cap. II.

IN via purgatiua incipiendum est tibi a timore domini. Nisi enim, ingratissimus, in timore domini instanter te tenueris, cito subuertetur domus tua. O lignum aridum & æternis ignibus dignum, ait D. Anselmus, quid respondebis in illa die, quando exigetur a te ad ictum oculi omne tempus viuendi tibi concessum, qualiter a te fuerit expensum? Ut igitur ad verum timorem domini, purgationemque peccatorum, & emendatiorem vitam peruenias, distingue meditationes ad viam purgatiuam pertinentes per VII. hebdomadæ ferias, cuiuslibet meditationi vnam in die, & vnam horam in nocte (quam etiam nulla ratione prætermittas) tribuens: eamque cum oratione vna aut altera infra scripta, mentaliter, si potueris, concludens, & cum gratiarum actione terminans. ¶ Feria igitur secunda, præmissis signo sanctæ crucis, & inuocato diuino auxilio, considera tuorum peccatorum, criminum & negligentiarum multitudinem & diuturnitatem,

LIBER III.

tem, quæ perpetrasti in pueritia, adolescentia, et virili ætate, omni tempore, quo vixisti, in omnibus locis, ciuitatibus, statibus & officijs, in quibus fuisti. In quinque sensibus corporis tui, & in viribus, & affectibus animæ tuæ. Per VII. peccata mortalia & vitia ex illis germinantia, contra X. præcepta Dei, contra VII. sacramenta ecclesiæ, contra VII. opera misericordiæ: & contra præcepta & instituta ecclesiæ, & superiorum tuorum, cogitationibus, locutionibus, operibus, et omissionibus, super numerum multiplicatis.

¶ Deinde attende illorum grauitatem: videlicet quod vnius peccati grauitatem ac vilitatem nemo digne ponderare possit, cum sit auersio a summo bono ad bonum carnale, vile & caducum, quo peccator rem vilissimam præfert altissimo Deo, suamque malam voluntatem, optimæ voluntati diuinæ. Per quod infinitam Deo irrogat contumeliam, ipsumque quodammodo iterum crucifigit. Denique quam scandalosum & læsum sit peccatum proximo, quamque nociuum suæ propriæ animæ, quam excæcat, conspurcat & occidit, spoliaturque Dei gratia, sacramentis, & meritis Christi, & ecclesiæ, & omnibus virtutibus & operibus bonis, societateque & amicitia Dei, beatæ Mariæ, & omnium sanctorum, obligaturque eandem horribili dæmonum consortio, & eterno incendio cruciandam. Si ergo vnum peccatum tam multa & ineffabilia superducit mala, quis tunc innumerabilium peccatorum tuorum grauitatem, culparum & offensarum magnitudinem, & vilitatem, ac poenarum te manentium (nisi poeniteris) atrocitatem iuste posset æstimare? Hic poteris admirabundus exclamare contra teipsum
ad om-

MARGARITAE EVANG.

ad omnes creaturas cur iniuriam sui creatoris in te non vindicauerint, cur terra & infernus te diu non deglutierint, sicut multis accidit, qui Deum non tantum offenderunt quantum tu. Attende denique quam dignus & iubilis sit, quam tibi bona fecerit Deus, quem peccatis tuis inhonorasti, contempsisti & offendisti: & quam vilis, turpis et ingratus sis tu, qui tanto domino rebellasti: & quanto odio Deus detestetur & puniat omne peccatum, sicut ab initio mundi in angelis & hominibus peccantibus, suo terribili iudicio damnatis saepe ostendit, adeo ut ignis infernalis non praeualeat vel unum peccatum mortale exurendo consumere. Et ideo necesse fuit ipsum Dei filium pro ipso extirpando incarnari & grauissimis supplicijs necari. Quapropter scias Deum te aliter iudicare non posse, quam opera tua meruerunt: quum sit incommutabilis summaque aequitas, non minus in punitione malorum, quam in retributione honorum. Haec & plura alia, quae unctio docebit, et in diuersis libellis reperuntur conscripta, profunda consideratione rumina, te ipsum veraciter iudicando, ne a domino iudicaris, donec amara contritione fueris successus. Et tunc te ipsum humiliando, & aeterna damnatione dignum arguendo, coram Deo in terram procidas, & lachrymosis suspirijs frequenter ingeminatis veniam preceris, emendationemque promittas, iuxta sequentium orationum formulas.

Feria tertia edito signo sanctae crucis, & inuocato diuino auxilio, meditare breuitatem huius vitae, & mortis tuae amaritudinem: Videlicet quam caecus sit mundus seu vita
mun-

LIBER III.

mundialis, quo ad omnia saluti necessaria: iudicans bonum malum, & malum bonum: quam brevis sit, quia respectu Dei et cœli, vel etiã vniuersus animæ, mundus vix est vnum punctũ, quod pro nihilo reputatur, quam vanus et fallax, non satians, sed perdens suos amatores, quam malus et omnibus vijs plenus, quam nocius et damnosus animæ, quam anxius propter miseras naturæ, vitæ, culpæ et mortis, quam scedus et omnia spurcitia tabidus, quam plenus omnibus periculis. Cuius gaudium est vile in suo obiecto, vix delictet impunita nequitia. Impurum in suo subiecto, quod est peccatrix anima, breue in seipso, triste in suo fundamento. Et malum causans sine fine duraturum in suo termino, et ideo toto corde respendum. ¶ Attende etiam quam velociter et improuise superueniet tibi mors tua. Vide præeuntis infirmitatis grauitatem, horrorem tuæ naturæ, timorem conscientie de perpetratis malis et neglectis bonis. Transactæ vitæ ad æternitatem comparatę breuitatem. Tormentorum pro momentanea delectatione acerbissimam. Amarissimum diuortium ab amicis, diuitijs et delicijs. Dæmonum acerrimam impugnationem, corporis deformitatem, animæ euulsionem, et ad iustum iudicem, tenebrosamque regionem transmigrationem, et cadaueris in terram abiectiõnem obliuionemq̃.

Feria quarta factõ signo sanctæ crucis, inuocatoque diuino auxilio de iudicio Dei, attende iudicis terribilem maiestatem, potestiam, sapientiam, iustitiam, et iracundiam intolerabilem, pauperis et miseri peccatoris corã Deo, angelis, et sanctis, atq; dæmonibus comparētis crepi-

MARGARITAE EVANG.

trepidationem & publicam confusionem, rationem reddam de anima conspurcata & male custodita, de spiritualibus donis & gratijs neglectis, de corpore vitijs corrupto, de sanitate et alijs naturæ dotibus, de tempore tibi concessio, de bonis temporalibus male expensis, de tuis a Deo acceptis beneficijs & officijs, & de omnibus cogitationibus, verbis & operibus tuis. Attende durissimam & irrevocabilem iudicis sententiam: a societate Dei, beatæ virginis, angelorum & sanctorum separationem, conscientiam tristissimam, & infernum apertum, & æterna desperatione, & omni miseria plenam damnationem. Quapropter si quid sapias, dum tempus gratiæ durat, studeas prævenire faciem domini in confessione, & lamentis pœnitentiæ, declinans a malo, & faciens bonum, oransq; dominum, ne intret in iudicium cum seruo suo: ut quum redierit, inueniat te in virtutibus vigilantem, quando cogeris velis nolis terrena omnia deserere, & opera tua tecum ad iudicium Dei conferre.

Feria quinta edito signo sanctæ crucis, Deique adiutorio implorato, de inferno meditare loci infernalis & subterranei foeditatem, obscuritatem, arctam angustiam, profunditatem terribilem, & horrorem dæmonum animastorquentium deformitatem & terrorem, illorumq; multitudinem, fortitudinem, crudelitatem, & perpetuam inimicitiam: pœnarum multitudinem, acerbitatem, gravitatem, & ad singulas culpas correspondentiam, & æternitatem: Videlicet carentiam diuinæ visionis, vermes, & tenebras, flagella, frigora, & ignes: dæmonum aspectus, scelerum confusionem, luctum & vitium.

LIBER III.

tum. Et hęc omnes damnatorum sensus & vires penetrant. Considera in dānatis animarum deordinationē, tristitiā & desperationē, corporis que turpitudinem, ponderositatem & infirmitatem; Deniq; & omnium malorum aggregationem, & omnis consolationis elongationem perpetuam absq; vlllo fine.

Feria sexta facto signo sanctę crucis et Dei adiutorio inuocato, viscerosę cōpassionis & charitatis affectu, meditare dñicam passionem, & quę, quot, qualia & quāta dñs maie stas ex maxima charitate pati dignatus est pro te saluādo, atq; ab æternis ignibus eruendo, & pro peccatis tuis (quę oīa vsq; ad minimū veniale clare præuidit) abolendis, & pro cuiuslibet satisfactione singularē dolorē assumpsit. ¶ Meditare ergo in primis passionē dñi iuxta historiam, q̄ in Euangelijs, aut alijs pijs libellis digesta inuenitur, per singulos articulos. Attende deinde quis est qui patitur: Nēpe Deus omnipotens, principiū oīs creaturę, sapiētia æterna, bonitas summa iudexq; viuorū et mortuorū. Qualis est, videlicet nobilis gñere, sanctus sanctorū, tenerri- mę cōplexionis, innocēs et totus amabilis. Quā- tus est: videlicet altissimus Deus infinitę poten- tię & maiestatis, q̄ est ipsa beatitudo sui & om- nium sanctorū, & speciosus forma p̄ filijs ho- minū. Qualia patitur, ludicra videlicet in signis, cōiūtia in verbis, tormēta in factis, vincula & instrumēta varia, & mortē acerbissimā. Quāta & in qbus patitur: quia in oībus sensibus corpo- ris fuit punitus, in rebus spoliatus, in anima et o- mnibus eius viribus afflictus, in corpore toto la- niatus, et in fama sua bona infamatus. ¶ Aggra-
M M uantia

MARGARITAE EVANG.

uantia externa erāt plurima, magna & acerba.
 Nā locus passionis suę insignis & ciuitas capita-
 lis, tēpus paschale, status suę nobilis ac famosa
 personæ, aspectus populi, & ministrorū crudeli-
 tas tormēta eius valde augmentabāt. Aggrauā-
 tia tū interna supra oīa corporalia tormēta incō-
 parabiliter aīam Iesu cruciabāt, videlicet q̄a o-
 mnia & singula hoīm peccata p̄terita, p̄sentia
 et futura, vna cū oīm p̄cna illis debita, clare vi-
 dit, in animā suā traxit, & plenarie pro illis, iux-
 ta suę sapiētis, charitatis & iustitię mensurā sa-
 tisfecit. Propter quorū multitudinē & magnitu-
 dinē, q̄a infinito nos amore dilexit, & infinitam
 diuinā iustitiā p̄cna exigebat, cogebat in tantā
 angustia & desolationē benedictā animā suā de-
 mergere, quantā nullus intellectus creatus valet
 apprehēdere, sanguinēq̄ sudare, & in cruce se
 derelictū, & animarū pereuntū salutis sitibun-
 dū clamare. ¶ Quodlibet nimirū mortale p̄cni-
 quinq̄ vno ictu illi infixit vulnera. Primū, q̄ p̄
 illud pater celestis (cuius honorē semper q̄siuit)
 inhonorat. Secundū, q̄ animæ (quas tā laborio-
 se redemit, & inestimabili charitate dilexit) p̄c-
 hoc ingnantur & occiduntur. Tertiū, q̄ gratia
 Dei, quā nobis recuperauit, p̄ hoc perdit, & ira
 eius quā abstulerat, cōtra nos resuscitat. Quartū
 q̄ pax, quā inter Deū & nos fecit, violat. Quintū
 tū, q̄ innumerabiles animæ ad æternā beatitudi-
 nē nobiliter creatæ, a Deo separantur, & æternæ
 dānationi adiudicātur. Si ergo vni⁹ peccati mor-
 talis enormitatē nemo digne p̄derare sufficit,
 q̄s expēdet peccatorū & p̄cnarū, quas pro eis
 Ch̄s assumpsit, grauitatē totius humani gene-
 ris? Certe si internus dolor eius diuideretur in oēs
 creatur-

LIBER III.

creaturas passibiles, vt pie creditur, cōtinue ex
 eius magnitudine morerentur oēs. ¶ Aggraua-
 bat nihilo minus internos dolores eius erga dile-
 ctissimā matrē suā cōpassio viscerosa, cuius mor-
 tissimā animā ipse solus cognoscebat, q̄ suū ei
 martyriū duplicabat. Pręterea eius dolores auxe-
 runt om̄ium electorū suorū tribulationes, quas
 p̄uidebat illos perpeffuros, quas intima cōpassi-
 one in se traxit & suis passionibus vnitas Deo
 patri obtulit, sicq̄ illas fructuosas fecit. Sustinu-
 it etiam immensum terrorē & angustiam ex tor-
 mentis, q̄ sibi vidit adhuc instare patiēda: & ex
 om̄imoda derelictione, & immersione animę in
 profundū om̄is desolationis & angustię: & ex
 ingratitude hominum, mala pro bonis illi re-
 tribuentium, & tantum precium negligentium.

¶ Considera etiā, qualiter patitur, vt eius vesti-
 gia fideliter imiteris. Quia videlicet erga patrē
 se habuit obedientissime, erga seipsum seuerissi-
 me, erga hostes patientissime, erga nos benignis-
 sime, & contra diabolum prudentissime. Atten-
 de quo amore patitur, vt ipsum redames: videli-
 cet amore æterno, & pręueniēti, & singulari pro
 singulis hominibus, gratuito absq̄ spe retributi-
 onis, summo & infinito, forti & p̄seuerāti. Attē-
 de demū, q̄ sine patitur: videlicet vt redimat te
 ab æterna morte, vt recōciliet te patri, vt reparet
 te destructū, vt illuminet excecātū, et æternaliter
 faciat beatū. O cor durū, q̄ male habebis in nouis-
 simo, si ad tāta amoris insignia nō vis moueri et
 in amorē solui, neq̄ vicē reddere tātę charitatē.

Simplorato factō signo crucis et Dei adiutorio
 uocatrę nostrę cōpassiuo & ameroso corde

MM ij con-

MARGARITAE EVANG.

contēplare dolores, eiusq; stude imitari vestigia,
 si eius filius esse desideras: cuius tota vita fuit
 mūdo crucifixa, & ipsa mundo, doloribusq; an-
 gustijs, laboribus & afflictionibus plena, et qua-
 si quoddā dolorosum martyriū. Attēde quantū
 doluit, vidēs benedictū filiū suū (quem verū De-
 um & hoīem nouit) in p̄sep̄io p̄ra frigore & e-
 gestate vagientē, & in circūcisione dolentē. Qñ
 audiuit Simeonē de gladio doloris propherantē.
 Qñ in Aegyptū fugit. Qñ eū triduo quæsiuit a-
 missum. Qñ in tota vita eius vidit vel audiuit,
 aut certe per sp̄m cognouit eū fame, inedia, fri-
 gore, æstu, labore & fatigatione torqueri, oppro-
 brijs, iniurijs, & persecutiōibus vexari, de immi-
 nēte sua passione loqui. Tandē ei valedicentē, et
 ad locū passionis properantē, a Iuda venditū &
 traditum, a discipulis derelictū, a Iudæis captū,
 cōprehensum, ligatū, cū multis iniurijs & tormē-
 tis deductū, inuidiose interrogatū, consputū, ve-
 latū, verberatū, & multis contumelijs & pœnis
 tota nocte afflictū. Deinde mane a Caipha ad Pi-
 latū, a Pilato ad Herodem, & rursus ab Herode
 ad Pilatum reductum, accusatū, blasphematū,
 flagellatū, spinea corona delusum & consputū,
 populo exhibitū, latroni posthabitū, ad crucē
 cōdemnatū, crucē propriā baiulantem, vestibus
 nudatū, distentū, crucifixum, in cruce ab oibus
 derelictū, se Ioāni commendantē, sitientē, & in
 maximis pœnis morientē: in corde trāsfigi, depo-
 ni, in sinū suū locari, & tandē in sepulchro recō-
 di. ¶ Attēde causas doloris eius, q̄a erat eius ma-
 ter, & sola parens, & vnice summeq; diligēs, &
 patienti præsens, ex natura vehemēter pia & cō-
 passua, cōplexione tenerrima, viuaci sensu oēs
 pœnas

LIBER III.

pœnas p̄sans, & in seipsa innocēs, & absq̄ eul
 pa: & q̄a a Deo electa erat, vt tanq̄ nostra aduo
 cata, & vice nostra filio cōdolens, & officiū fu
 neris exhibēs, potētior fieret apud Deū nos in
 gratos filios suos precibus & meritis suis adiu
 uare. Iuxta mensurā igit̄ amoris eius ad filiū su
 um, & ad nos eius adoptiuos, fuit & dolor̄ eius
 magnitudo, q̄s idē illi filius abundātus cōmunf
 cauit præ cæteris electis oibus: sicut nūc quoq̄
 ipsam supra oēs exaltauit, plusq̄ vlla creatura
 pura posset cōprehēdere. Tot ergo & tātis fide
 lissimę matris tuę dolores stude cōpassiuo cor
 de cōpati & gratias agere, & eius humilitatē, ca
 sitatē, patientiā, charitatē, & virtutes oēs imita
 ri, totoq̄ corde cum & in filio honorare & reda
 mare: & senties in oī necessitate tua & in morte
 maternā eius cōsolationē, & protectionē fidelis
 simā. Perire nanq̄ nō poterit, q̄squis ipsam vsq̄
 in finem deuote inuocauerit honoraueritque.

Dominica die signo crucis factō & Deo in
 Duocato meditare gaudia regni cœlorū. **V**
 de cœlum empyreū, q̄d est situ altissimū,
 quātitate amplissimū, materia preciosissimū, fi
 gura rotūdō, luminosissimū et pulcherrimū oīm
 fiorū et deliciarū, q̄ desiderari possunt, amenitate
 iucundissimū. Vide gratissimā societātē, et con
 tēplationē diuinitatis et humanitatis Ch̄ri, glori
 osę virginis Marię, angelorū et sanctorū oīm.
 Quodq̄ hi ipsi sunt innumerabiles, pulcherrimi,
 iucūditissimi, charitate p̄fectissimi, & regali et re
 ginali dignitate cōspicui. Vide opera siue actus
 beatorū, q̄ sunt Deū clare videre, p̄fecte amare
 et laudare, ipso inamissibiliter frui et vniri, atq̄
 gratias agere et cōgratulari. Attēde glorificatio
 nem

MM iij

MARGARITAE EVANG.

nem anime, quantū videlicet erit premiū substantiale æternæ beatitudinis, tres dotes aīæ, videlicet visio clara, fructio secunda, & tētio ppetua: vires deinde intueri oēs glorificādas, sensualitatē purā, ætatē floridā: VII. partes beatitudinū animæ, videlicet sapientiā maximā, amicitia verā, concordia syncerā, securitatē summā, potentia liberrimā, honorificentia inæstimabilē, & regalē principatū. Attēde etiā glorificationē corporis: videlicet eius quatuor dotes, claritatē, subtilitatē, agilitatē & impassibilitatē: fructus exercitiū spūalis, & maxima p̄mia pro paruis q̄busq; meritis: aureolas martyrum, doctorū atq; virginū: seu suūq; p̄fectionē, VII. beatitudinū corporis partes, videlicet pulchritudinē sine deformitate, velocitatē sine tarditate, fortitudinē sine infirmitate, libertatē sine captiuitate, delicias sine dolore, sanitatē sine egritudine, & vitā absq; mortalitate. Deniq; videbis subtus te cœlosq; orbis & motus: mundū cū periculis suis, q̄ fugisti, hostē quē viciisti, tormenta inferni, q̄ euasisti, & peccata, q̄ vitasti, vel p̄nitētia deleuisti. Demū, erunt tua gaudia infinita, & absq; tristitiæ permixtiōe purissima, ordinatissima, a periculis elōgatissima, oīm q̄ desiderabis affluētissima, & sine fine tribulatiōe: q̄ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hoīs ascēderūt, q̄ p̄parauit Dēus diligenti. **P**ostq; igit̄ singulis meditatiōibus hic breuiter hēseris, in spū humilitatis, & in aīo cōtrito cōuertere ad p̄missimū redēptorē tuū, dolēs & gemitus, et viscerosa suspiria (q̄ valde efficaciter te purgabūt) emittēs, magis ex amore, q̄ fidelissimū Dēū & patrē tuū grauissime inhonoraueris. Nam

Nā hoc multo plus placet Deo, q̄ ex timore peccare, vel dolore tui dāni, q̄d incidisti, sicq̄ prostratus humili timore ac pudore dicas mentaliter, si potes.

Effusio cordis cōtriti & humiliati, qua possit q̄s cū Deo redire in gratiā. Cap. III.

O Domine, toto corde doleo me tuā amicitiam amisisse, tuam bonitatem contempnissse, tuam maiestatem inhonorasse, mādata tua & ecclesie tuæ, & superiorū meorū nō curasse, tēpus, vires, & substantiam meā pro tui cōtumelia dilapidasse, peccata & scelera mea a te mihi sēpissime dimissa, iterū & iterū sere infirmitates iterasse, i gratitudinis et alijs vitijs meis in te & in oēs creaturas, vltra q̄ dici potest, peccasse. O dñe, ego sum ille prodigus filius, qui hæc & alia infinita mala contra te perpetravi: quicum me innocentem creaueris, me tam sine vilo rubore vilissime dæmonibus & vitijs prostitui. Tu pro me crucifixus es & humiliatus, & ego me erexi. Tu nudatus, ego avarus. Tu amaritudine repletus, & ego delicatus. Tu felle potatus, ego crapula grauatus. Tu totus laboriosus, ego totus desidiosus. Tu pro inimicis orasti, ego nō solum inimicos, sed & amicos odiui. Sed heu mihi, q̄d faciā? Nunqd desperabo? Absit. Ferrū rubiginosum purgari potest, & ego per viā purgatiuā, lima cōtritiōis, cōfessionis & satisfactiōnis me purgabo. Et sicut me p̄ superbiam exaltaui, ita per humilitatem ero opprobrium hominum & abiectio plebis. Cōtra auaritiā, abrenūciabo oībus rebus trāsitorijs: cōtra voluptates, affligā me ieiunijs, vigilijs, fame et siti. Purgabo me etiā p̄ gemitus oratiōis, p̄ ignē tuę et fraternę cōpaf-

MM iiij sionis,

MARGARITAE EVANG.

fionis, et per ardorē tuę charitatis, & per abnegationem proprię voluntatis. O domine per amarissimam passionem & mortem tuam propitius esto mihi peccatori.

Effusio contriti & humiliati cordis ad patrem cœlestem pro plena reconciliatio-
ne. Cap. III.

Dominator dñe oīpotens, misericors et clemēs, patiēs & multę misericordię, iuste et verax, qui contritorū non despicias gemitū & mœrentiū nō spernis affectū, sed oībus te in veritate q̄rentibus subuenis. Adesto inuocacōibus meis, et noli me derelinquere plasma tuum, propter magnitudinem bonitatis tuę. Sed aperī misericordes oculos tuos, et intuere opus manuum tuarū, & suscipe in māsuetudine verba gemitus mei, et audi peccatorē de luto miserię ad te vociferantē. Ad ostiū tuū summe paterfamilias mēdicus pulso. Audi desideria rugientīū precordiorū meorū, q̄a gemitus meus a te nō est absconditus. Veni mihi in auxiliū, q̄a tu solus lāgore & dolorē consideras. Nā sine te nemo iustus in cōspectu tuo. Ideo ego oīm miserrimus flecto ceruicē meā sub pedibus maiestatis tuę, & cōfiteor tibi paupertatem meā, quia accusantes se ante cōspectum diuinę clementię tuę ab oī vinculo iniquitatis absoluis: & ego miserrimus peccator, & peripissima oīm peccatorū, cōfiteor tibi omnia peccata mea et mala, q̄ vnq̄ peregi a diebus iuuetutis meę vsq̄ in præsentem horā, videret illa et illa, tot, talia, tam graua et multa. **H**ęc & alia multa, q̄ me latent, sunt peccata mea, quę coram te miserabiliter perpetravi benignissime.

Hic per-
eurre pec-
cata tua
ut meli-
us potue-
ris.

LIBER III.

benignissime pater, nec pro his tibi satisfacere pos-
 sum, nec rationem reddere de tantis criminibus,
 quibus maiestatem tuam sæpius offendi. Quia
 plures sunt iniquitates meæ, quam stellæ cœli, et
 guttæ pluviæ, & arena maris, quæ præ multitu-
 dine numerari nequeunt, ita innumerabilia sunt
 peccata mea. Quomodo ergo benignissime pa-
 ter te pro his omnibus placabo? Non possum ti-
 bi satisfacere nec respondere vn̄ pro mille. Nec
 etiam meipsum (vt merui) interficere volo nec
 debeo; sed quia ego te domine in fecibus meis
 vsque adeo prouocaui, quod iusto iudicio contra
 me merito pugnare deberet totus orbis terrarū.
 Surgant ergo omnes creaturæ cœli & terræ, &
 veluti creatori suo famulantes, de me vindictam
 sumant. Non vis tamen benignissime pater, vt
 illæ me occidant. Quod ergo nunc faciam nō ha-
 beo, nisi tu mihi subueneris. Alias bonum mihi
 foret si natus non fuisset, vt de proditore tuo di-
 xisti, qui meipsum peiorem illo feci. Sed nūc pte
 pater, video te mihi prouidisse de remedio. Le-
 uabo oculos meos in faciem Christi tui, qui pro-
 pter peccata mea totaliter afflictus & extirpa-
 tus est, vt suo roseo sanguine vulnera mea cura-
 ret. ¶ Hic meditare vitam, passionem & chari-
 tatem domini nostri Iesu Christi, distinguendo
 illam per singulos articulos, & comparando pec-
 catricem vitam tuam, ad sanctissimam vitam
 Christi: tuas quoque oblectationes, ad eius passi-
 ones & dolores: & tua vitia, ad eius virtutes in
 singulis articulis vitæ & passionis ipsius resplē-
 dentes: orans vt per eius merita & exempla com-
 pungaris, humiliaris, purgeris, veniamque pec-
 catorum, & gratiam ipsum perfecte imitandi et
 MM v redz-

MARGARITAE EVANG.

redamandi adipiscaris: donec per vulnera humanitatis admittaris in cor ipsius, & in vniionem diuinitatis in humanitate latentis, per exercitium amoris. Hoc nanque vnicum vitæ & passionis dominicæ exercitium, huic triplici vitæ, imo omni vitæ bonæ adeo necessarium est, vt sine eo nulla alia exercitia profint: & sine alijs hoc solum sufficeret, modo discrete quisque iuxta sui cursus mensuram illo vti, & constanter vsque ad finem in illo voluerit perseverare, illudque non pro qualibet causa leuiter omittere. Caue demum in aliqua harum viarum obliuisci, siue (quod absit) contemnere humilem implorationem suffragiorum gloriose virginis matris, & sanctorum: Maxime autem ipsius matris misericordiæ, per quam magnam tibi gratiam senties a filio eius benedicto cœlitus impartiri.

Effusio cordis contriti & pœnitentis ad Iesum Christum pro peccatoribus crucifixum. Cap. V.

IN vniione doloris tui, qui causam doloris mei assumpsisti, & emendationem pro peccatis meis suscepisti, domine Iesu Christe, singulare omnium vere pœnitentium asyllum & refugium, cum vniuersitate dolentium & vere pœnitentium & te in veritate quærentium, confiteor tibi omnia peccata mea, mala commissa, & bona omissa vel non pure facta, sicut tu ea nosti in numero, pondere & mensura, & dies perditos vitæ meæ, in quibus te offendi, & laudem tuam minui, & a te summo bono cecidi, & proximum meum in casum traxi. Suscipe ergo domine

LIBER III.

mine de mea misera vita residuum annorum me-
 orum. Pro his vero quos male viuendo perdidisti,
 quia perdidisti vixisti, cor contritum & humiliatum
 Deus non despicias. Dies mei sicut umbra decli-
 nauerunt, & perierunt sine fructu, quos impossi-
 bile est vt reuocet: sed placeat tibi vt recogitem
 illos in amaritudine animæ meæ. Quia pecca-
 ui super numerum arenæ maris, & præ multitu-
 dine iniquitatis meæ, non sum dignus annume-
 rari inter creaturas tuas. ¶ Ideo piissime domi-
 ne Iesu Christe, abyssus profundissimæ miseriæ
 meæ, inuocat abyssum altissimæ misericordiæ
 tuæ. Ne contineas in ira miserationes tuas, &
 fontem inexhaustæ misericordiæ tuæ circa me
 exicari non permittas propter peccata mea,
 qui misereris omnium, & nihil odisti eorum,
 quæ fecisti, dissimulans peccata hominum pro-
 pter pœnitentiam. Tuum est domine remittere
 mihi peccata mea, ac misereri mei. Iam tempus
 est gratiæ & miserationis. Et dum tempus est e-
 mendationis, da mereri gloriâ benedictionis,
 ne in die consummationis me feriat verbum
 maledictionis. ¶ O benedictæ & amabilis do-
 mine Iesu Christe, qui plorasti super amicum tu-
 um Lazarum, & fleuisti super ciuitatem san-
 ctam Hierusalem, plora super me fletu com-
 passionis, & conuerte ad me oculos misericor-
 diæ tuæ, & sis mihi mitis, sicut fuisti mulieri pec-
 catrici in domo Simonis leprosi: & fluant de o-
 culis meis lachrymæ, sicut fluxerunt de ipsis,
 quando pedes tuos lachrymis lauit, & crinibus
 suis terxit: & dimisisti eam in pace. Fac me que-
 so domine Iesu Christe assueta mala relinque-
 re, & tibi placita opera agere, vt studium,
 quod

MARGARITAE BVANG.

quod hucusque in peccatis exercui, te adiuuante, deinceps in tua voluntate exerceam: vt vbi abundauit delictum, tua gratia reabundet. Et rogo te propter te ipsum, & per amorem p̄m̄i m̄æ matris tuæ virginis Mariæ, & per intercessionem omnium sanctorum tuorum, vt ignosceas omnibus peccatis, negligentijs & ignorantijs meis, & ne perdas me cum iniquitatibus meis, neque in sinem iratus, reserues mala mea. Recordare domine Iesu, quia tuum non est perdere quicquam ex eo quod pater tuus dedit tibi, sed tuum est proprium misereri semper & parcere, neminem perdere sed saluare: quia pater tuus misit te in mundum, non vt iudices mundum, sed vt vitam habeamus per te, & sis pro nobis, non contra nos. Quod enim nos debuimus, tu soluiti, quod peccauimus, tu luiti, quod negleximus, tu supplesti. ¶ Proficiat ergo mihi domine nunc & in extremis meis, plenaria, imo superabundans satisfactio tua, pia passio tua, amara mors tua, et precium fusi sanguinis tui, renouatio satisfactio nis tuæ, venerabile scilicet mysterium corporis et sanguinis tui, quod tibi quotidie offertur in ecclesia catholica pro salute fidelium. In quo tu es ipse sacerdos & sacrificium, ille qui offert, & ille cui offertur: ad promerendum mihi in presentia gratiam quam non merui, ad obtinendum in futuro requiem & gloriam quam tua pia passio impetrauit. Imperfectum meum domine viderunt oculi tui, sed tu pie Deus, ne imputes mihi ad eternum supplicium, qui omnia ad summum & perfectum bonum optime & perfectissime preordinasti. Et ne permittas me deleri de libro vitæ, sed confer mihi portionem, quæ me continet.

LIBER III.

git per subsidium tuæ preciosæ passionis, cum qua hominem voluisti habere tibi coheredem in terra viventium. ¶ Te igitur domine Iesu Christe moueat & inclinet ad misericordiam, humana fragilitatis consideratio, qui nosti quæ sit hominis substantia, & quod vane cõstitueris hominem super terram. Conserua etiam in me opus tuæ pietatis, ne incassum circa me laboraueris, & ne infructuosa in me sit immaculati crucis tui effusio. Tu ergo qui es purificationem faciens peccatorum, præsta vt emundatus a peccatorum sordibus, & illuminatus acie mentis, cognoscã te; & me agnoscens in directione cordis mei, iugiter ad te tendã, vt felici exitu merear ad te peruenire Iesu Christe, vnicũ refugium meum.

Oratio introductoria per vulnera in cor & diuinitatem Iesu, ad latitandum in eo contra distractiones omnes & tentationes.

Cap. VI.

Domine Iesu Christe pro peccatoribus crucifixe, suscipe me peccatorem ad te confugiẽtem, & protege me sub vmbra alarum tuarum, quas extendis in cruce, inter brachia charitatis tuæ. Planta arborem sanctæ crucis tuæ in corde meo, vt diffusis amaris radicibus eius in me sentiam & intelligam, quanta sustinuerit & passa sit clementia tua pro me inutili & heu ingrato seruulo suo. Exeant radij humilitatis, paupertatis, obedientiæ, patientiæ & charitatis, ex sacratissimis vulneribus tuis in me; & vulnere cordis seu lateris tui, vulnere videlicet amoris tui cor meum vulnera & transuerbera, vt vere ardeam et lægueam in desiderio animæ, & illumi-

MARGARITAE EVANG.

& illuminatus luce mortis tuæ, vere intelligere
 re valeam dolorem & cruciatum, quem sustinui
 isti in manibus & pedibus tuis, in capite, in cor-
 pore, in corde & in anima tua: Quia plenus do-
 loribus eras intus & foris, stans & suspensus in
 patibulo crucis, sic vndiq; angustatus, quod nec
 ad dextram nec ad sinistram, neque sursum, ne-
 que deorsum, nec ante nec retro quoquam te
 mouere potuisti. Et stando sic doloribus plenus
 & vndique derelictus, plorasti, preciosum san-
 guinem iugiter stillasti, & fidelissime pro nobis
 miseris peccatoribus passiones sustinens labora-
 sti, donec exaruisisti, & totaliter defecisti, ac mor-
 te amarissima atq; turpissima, cum summo mor-
 rore & incredibili angustia tuæ tristici animæ, ex
 charitate maxima tui seruentis spiritus, volun-
 tarie pro nobis occubuisti. Sit nomen tuum do-
 mine benedictum in omnia secula. ¶ Domine
 Iesu Christe fac sanctissimam hanc mortem tu-
 am penetrare duritiam cordis mei, vt tibi & pati-
 sine matri tuæ virgini Mariæ fideliter compati-
 sciam. Trahe me post te, ad te & in te: quia te ex-
 altatum a terra omnia tibi attracturum dixisti.
 Due me in vestigijs sacratissimæ passionis tuæ
 baculo sanctæ crucis, per arma iustitæ mortis, in
 & a sinistris, per foramentum angustæ mortis, in
 latitudinem spiritus, vsq; ad introitum vitæ ætere-
 næ, vbi te clarius videre, & plenus benedicere
 queam: laudareque & glorificare gloriosum no-
 men tuum valeam super omne nomen sanctum
 & benedictum in secula, Amen.

Effusio contriti cordis ad spiritum sanctum.

Cap.

VII.

O sacro

LIBER IIII.

O Sacrosancte spiritus, patri & filio coæ-
 qualis, omnipotens, adorande, super glo-
 riosæ, benedicte Deus paraclite, qui es pa-
 tris et filij dulcissimus amor, sancta communio,
 pax & tranquillitas æterna. O dulcissima Dei
 bonitas & infinita misericordia, susceptor pau-
 perum, consolator mœrentium, per quem nobis
 omnia quæ patris & filij & tua sunt, inferuntur,
 vitam diuinam tuis muneribus in nobis faciēs,
 & filios Dei per adoptionem nos cōstituens. Tu
 nullum ad te confugientem miserum despexi-
 sti. Tu nullum licet foetidissimum peccatorem
 respuisti. Tu nunq̄ in angustia positū sine mise-
 ratione præteristi. Tu om̄i indigenti, tanquā p̄ssī-
 mus pater & cōsolator semp̄ subuenisti. Ego mi-
 ser peccator in cordis mei dolore & angustia, ad
 tua pia confugio subsidia, quia sine te reis nulla
 datur venia. Ecce cōmissa mea vehementer per-
 timeo, & om̄issa mea valde erubesco. Heu mi-
 hi q̄ me vertā, q̄ fugiam, quādo iusta Dei ægras
 in numero, pondere & mēsurā iudicauerit om̄ia,
 quando in statera nimis rigorosa leuauerit oia
 mea facinora? O infinita Dei charitas sacrosan-
 cte spiritus, obsecro te, ne mihi facias secundum
 pctā mea, ne me indignū proicias a facie tua, ne
 de me dicas: Vt qd̄ etiam terrā occupat? Sed fac
 me corā te plorare & postulare gemitibus in-
 narrabilibus. O benignissime spūs, respōde pro
 me, & calicem Iesu salutaris mei pone in statera
 vacua, q̄ operias om̄ia mea crimina. Tu nāq̄ Ie-
 sum coegisti, vt assumeret causam meam nimis
 malā ad succurrendū mihi p̄dito, quē vinculis et
 flagellis afflictū, spinis et clauis sauciatū et illu-
 sum in mortem traxisti amarissimam, imponēs
 & to-

MARGARITAE EVANG.

ei totius mundi culpam. Tu fontem vitæ propter me cruciabas siti, vt non sufficeret ei semel mori, sed iam moriens morte multa pro singulis cuperet offerri sapius, vt ego vitam habeam abundantius. Eia totam vitam meam in hanc mortem absorbeas, peccata mea in ea abscondas, negligentias meas ex ea suppleas. Hoc incensum iuuauissimum, hoc sacrificium dignissimum accipias, & diuinæ iustitiæ pro omnibus peccatis meis offeras. Per huius preciosæ mortis meritum, quod sufficit ad soluendum vniuersale debitum, vitam meam innoua, & centuplum restituere omnia mea deperdita, vt tibi seruiat omnis virtus mea, & te glorificet omnis mea substantia. Conuerte me tam efficaciter ad te, vt in diuini amoris violentia a meipso penitus deficiam, te corde puro super omnia diligam, in omnibus te laudare, tibi que seruire & adherere studeam. Sensus meos intellectuales luce clarius illumina, intus me docens, intus diuina suggerens cõcrema. Infer mihi omnem charitatem, virtutem, veritatem, lucem & calorem, pulsum & motum, operationemque diuinam: vt per experimentum tui amoris nunquam a spiritu maligno seducar, nec meo spiritu deceptibili & mutabili dirigar, sed tu solus sis meus ductor: quo impulsus & inspiratus, tuisque donis confortatus, potens sim ad omnia tibi beneplacita. Te docente & linguam mouente habeam os & sapientiam, cui nullus resistere queat aduersario. Tu sis mihi vinculum, quo patri & filio conungar. Tu amor, quo patrem & filium diligam. Sic ergo miserere mei per gratiam (quæ misericordiam & remissio est peccatorum) vt tandem abbe
que

LIBER III.

que impedimento ingredi mereamur tui amoris
thalamum, in quo solo totum & verum est no-
strum gaudium.

Veni sancte spiritus, & emitte coelitus lu-
cis tuæ radium. Veni pater pauperum, ve-
ni dator munerum, veni lumen cordium.

Consolator optime, dulcis hospes animæ, dulce
refrigerium. In labore requies, in æstu temperi-
es, in fletu solatium. O lux beatissima, reple cor-
dis intima tuorum fidelium. Sine tuo numine ni-
hil est in lumine, nihil est innoxium. Laua quod
est sordidum, riga quod est aridum, sana quod
est faucium. Flecte quod est rigidum, foue quod
est frigidum, rege quod est deuium. Da tuis fide-
libus in te confidentibus sacrum septenariū. Da
virtutis meritum, da salutis exitum, da perenne
gaudium, Amen.

Effusio cōtriti cordis ad ter sacratissimam
virginem Mariam, singulare & vnicum
post Deum refugium omnium pœnitēs-
tium.

Cap. VIII.

O Sanctissima virgo Maria, genitrix Dei,
regina cœli, domina mundi, mater mise-
ricordiæ, quæ es sanctissima, humillima et
piñissima supra omnes sanctos cœlestis curiæ, ci-
tius inclinans aures tuas, vt exaudias preces ser-
uorum tuorum, quos semper es adiuuare para-
ta: si digneris nunc o domina diuinam maiestatem
orare pro me, qui sum supra modum peccator
vilissimus, & cunctis deterior hominibus: tecum
pariter inclinabitur tota cœlestis curia, dicens:
Inclina domine aurem tuæ pietatis ad supplica-
tionem tuæ sanctissimæ genitricis. Dignum
NN nanque

MARGARITAE EVANG.

nanque est, vt eius intuitu vita detur perditio, & gratia misero. O pijsissima virgo, etsi ego sum indignissimus, tu tamen es dignissima. Si ego superbus, tu domina humillima. Si ego impurus, tu purissima. Si ego foetidus, tu fragrantissima. Si ego libidinosus & carnalis, tu virgo purissima. Si ego peccator nequissimus, tu mater Dei sanctissima. Ex totis igitur precordijs meis tibi supplico per omnem amorem & dolorem, quem pro dilectissimo filio tuo habuisti, digneris pro me misero peccatore intercedere & supplicare: Per fugam in Aegyptum, per amissionem tri-duanam filij tui, per tristissimam separationem eius a te in Bethania, dum ad passionem proficisceretur: per dolorosissimum illud verbu: Mulier ecce filius tuus, quo tibi nos pauperes in filios commendauit: per sitim eius, & gustum felis & aceti: per diram eius mortem & lateris a-pertionem: per eius preciosi corporis inter brachia tua descensum: ora eundem filium tuu pro me, vt dignetur mihi dimittere omnia peccata mea, & omnem gratiam & virtutem in praesenti, & vitam tecum aeternam largiri in caelo.

¶ Quotidie ergo te gloriosae virgini offeras in seruum proprium, & voto illi te obstringas, le-gens ei pro recognitione homagij quinquagin-ta salutationes angelicas, aut plures vel pau-ciores, prout potueris. Similiter sanctos Dei sin-gulari affectu, contrito corde roga, vt pro te in-tercedant. Et si in hac via perseueraueris, cito magnam gratiam experieris, si tamen a pecca-tis & vitijs pro posse abstinueris: Alioqui ma-nebis, & forte (quod absit) moreris in pec-catis tuis, quae quandoque deplorasti. Postre-mo

LIBER III.

mo ora fideliter pro tibi commendatis, & pro omnibus statibus ecclesiæ, & pro animabus in purgatorio. Hoc nanq; mirum in modum Deo gratum, tibi que erit salutiferum. Ad hæc ut etiam poteris VII. Psalmis pœnitentialibus cum Letania, & XV. orationibus (quas vocant diug Brigittæ) de passione domini, quæ miræ sunt virtutis pro venia & gratia impetranda.

Vt quis cum Deo reconciliatus per viam purgatiuam, secure conscendere possit in viam illuminatiuã, praxis. Cap. IX.

Inter omnia illuminatiuã, sicut et aliarum viarum exercitia, præcipuū est meditatio vitæ & passionis dñicæ. Quæ quia in Euāgelijis & alijs libellis passim inuenit, hic replicandã nõ putauimus. Ex hac enim facile purgabuntur tui interiores oculi, & illuminabuntur ad discretionem boni & mali; & ad cognoscendum Dei bonitatem, & tuam vilitatem, Deumque perfecto amore (sine quo omnis illuminatio sterilis est) redamandum; Illuminaberis etiam frequenter legendo & audiendo verbum Dei, vitasque, exempla & scripta sanctorum; item, sapienter considerando creaturas, & referendo eas in Deum, suam scilicet originem. Ab assiduis etiam diuinorum meditationibus, & orationibus seruidis, & maxime ab oratione dominica. Illuminat nihilo minus valde beneficiorum Dei deuota meditatio. Quam, sicut & cætera omnia, semper trahere debes ad redamandum Deum toto corde: non quidem propter beneficia sua, vt mercenarius, sed propter suam infinitam bonitatem

NN ij &

MARGARITAE EVANG.

& charitatem, vt fidelis filius. Vnde Bernardus ait: Tot mihi Deus contulit beneficia, quæ si vnus rusticus mihi fecisset, & ea considerarem, tenerer eum valde diligere. Quid igitur rependam summo amatori de tantis suis beneficijs? Certe gratias agam, et ea quandiu potero, recolere nõ grauabor. ¶ Postquam ergo ad pedes domini aliquot hebdomadibus purgationi peccatorum vacaueris, donec senseris te in cõscientia serenatũ, & strenuum factum ad excutiendum omnem negligentiam, seuerum ad restringendum omnem concupiscentiam, benignumq; ad excludendum omnẽ amaritudinem, humiliter consurgere poteris ad oscula manuum domini per deuotam & morosam meditationem beneficiorum eius.

Feria ergo secunda, edito signo sanctæ crucis, et implorato diuino auxilio, meditare beneficium creationis, & dic mentali affectu: Gratias tibi ago o pater & domine mi dilectissime, quod me ab æterno prædestinasti, et perpetua charitate dilexisti, ad nihil tibi vtilem, quum mei in aliquo nõ indigeres. Quod me creasti vnam creaturarum tuarum nobilissimam, scilicet hominem, nõ bestiam nec lapidẽ. Quod corpus mihi dedisti cum membrorum integritate, complexionis bonitate, sexusque nobilitate, liberans me a multis miserijs, faciensque aptum tuis ministerijs. Quod animam meam ad imaginem & similitudinem tuam fecisti tui capacem & immortalem, multisque viribus decoratam. Quod dedisti mihi angelum custodem, qui innumera mihi præstat beneficia. Quod parètes Christianos & honos mihi prouidisti, non Iudæos, nõ Turcas neq; gentiles, & in tempore fidei Christianæ

stianæ me produxisti.

Feria tertia facto signo crucis & inuocato Deo meditare, nō cursim, sed morose beneficiū gratificatiōis & dic: Gratias tibi ago dulcissime dñe Deus meus, qđ me gratificari dignatus es in dilecto filio tuo, cui non pepercisti, sed dedisti illū mihi in sociū peregrinatiōis, in exemplum conuersationis, in edulium confortationis, & in precium redemptiōis. Quod dedisti mihi sanctum spiritum tuum in signū adoptionis, in priuilegium dilectiōis, et in anulum desponsationis. Quod vocasti me ad vniōnē ecclesiæ catholicæ, in qua saluari possum, sicut Noe in archa. Quod p̄ sacramentū baptismi mūdasti me ab originali culpa, restituisi mihi vestē innocentie, & iustitiā perditā. Quod p̄ sacramentū cōfirmationis multa dedisti mihi munera, & auertisti mala. Qui me tuo nomine scilicet Christiano vocasti, cōstituēs me filiū & heredē regni cœlestis.

Feria quarta facto signo crucis & implorato Dei adiutorio, meditare beneficiū vocatiōis et dic: Gratias tibi ago dulcissime dñe Deus meus, qđ me post innumera beneficia ab te recepta, cum te spreto, per diuersa peccata ad transitorias creaturas me conuerterē, patiēter sustinuisi, & lōganimiter expectasti, nō permittēs me in tali statu (qđ tamē multis me melioribus contigit) mori & damnari. Quod multis modis toties errantem, semper reuocasti: interius quidē inspirationibus bonis, exterius quoque aliorum admonitionibus, scripturarum exhortationibus beneficiorum cumulatiōibus, præmiorum promissionibus, suppliciorū cōminationibus, flagellis & aduersitatibus, & alijs varijs modis. Qui

NN iij digna

MARGARITAE EVANG.

dignatus es auferre duritiam mentis meę, dādo
voci tuę vocē virtutis, & auertendo obstacula
salutis, meęq; donasti bona voluntate, quę est do-
norum tuorum precipuū. Quod, quoties volui,
ad te cōverti tanq̄ filius prodigus, toties paterna
fidelitate tua inter amplexus tuos me gaudenter
suscepisti, primamq; stolam & anulum mihi re-
stituisti. Quod me a societate malorū occasionibus
peccādi abstraxisti, & societatem bonorum
& notitiam amicorum tuorum, & statum hunc
salutiferum mihi prouidisti, tempusq; pœnitentię,
gratiamq; nouam cum pręteritorum peccatorum
venia indulxisti.

Feria quinta factō signo crucis & Dei inuo-
cato adiutorio, meditare beneficiū iustifi-
catis, & dic: Gratiastibi ago dulcissime
dñe Deus meus, qđ ita mutare dignatus es volū-
tatem meā, vt opera pœnitentię & diuina tua ob-
sequia, quę prius erāt amara, mihi facta sunt dul-
cia. Et mundus cū suis cōcupiscentijs, qui prius
placuit, nunc mihi viluit: sicq; dedisti mihi vir-
tutem continentię, quod valde insigne est do-
num. Quod dedisti mihi in bono statu perseverā-
tiam, sine qua nemo saluabitur, & a qua multi
exciderunt. Quod dedisti mihi virtutem & speram
proficiendi cum varietate internarum consolati-
onum: & odium pręteritorum malorum, & de-
siderium futurorum bonorum. Qui mihi, ne desi-
cerem in via, parasti mensam, in qua tuum cot-
pus & sanguinem, imo teipsum totum mihi dedi-
disti in viaticū peregrinationis, in sacramentū
cōmunionis, et in sacrificiū redēptionis. Qui oīa
alia mihi necessaria, sacrā quoq; scripturā & de-
uotos libros pro illuminatione intellectus & in-
flam-

LIBER III.

flammatione affectus addidisti. Qui dedisti mihi exempla & patrocinia sanctorum tuorum affectuq; deuotū & fiduciā singulārē ad gloriosam matrem tuam, & tuos præcipuos sanctos & angelos, necnon varia & deuota exercitia, & virtutum ornamenta, quibus meam turpitudinem decenter operirem.

Feria sexta edito crucis signo, meditare beneficium singularis dotatiōis, & dic: Gratiās ago tibi dulcissime domine Deus meus, qui in omni vita mea multa dona gratis data & beneficia, omni tempore in me cumulasti. Dedisti enim mihi in bonis naturæ sensum capacem, memoriā tenacem, fortitudinem & pulchritudinem. In bonis fortunæ omnia necessaria superabundanter. In bonis gratiæ, pure credere, in te sperare, teque amare. Qui mihi singularem meditandi & intus me exercendi gratiam contulisti, intellectum docuisti, affectum traxisti, deuotionem, consolationemq; internā, & arram vitæ æternæ præbuiisti. Qui me ne gratias tuas perderē, singulariter a lapsu custodisti, remouens occasiones ad peccandum, dansque vires ad resistendū, & sanans affectiones ad permanēdum. Qui si me vt humiliarer, quandoq; superari permisisti, inde me fortiorē crexisti, errantemq; reuocasti: præstans virtutem fortius resistendi, & supponēs manū tuam, cū cecidi, ne penitus colliderer.

Sabbato facto signo crucis, et Deo inuocato meditare beneficium gubernatiōis, & dic: Gratiās ago tibi dulcissime dñe Deus meus q; me sola virtute tua (cū alias in nihilū semp reciderē) hactenus in esse bono & sano cōseruasti: Qui me ab incunte ætate ab infinitis periculis,

NN iij languo

MARGARITAE EVANG.

Ianguoribus, hostibus & malis animæ & corporis fidelissime liberaſti vel præſeruaſti. Qui mihi victum & veſtitum, domumq; ad manendū, & cubile ad quieſcendum, cæteraq; nō ſolū neceſſaria, verumetiā multa ſuperflua, iucunda & vtilia pro mei ſuſtentatione abunde providiſti. Qui me hætenus optime gubernaviſti, & propter me omnes alias creaturas in eſſe conſervaſti, & direxiſti, miniſtrans ſucceſſiones temporum, & producens diuerſitatem fructuū & animaliu, ad tollendū faſtidium. Qui me ſapiēter gubernans, non ſolū per proſpera, ſed etiam per aduerſa deducens exercuiſti, ad mea purgandū peccata, & augendū merita. Imo adeo circa me ſollicitum te ſemper exhibuiſti, quaſi vacares a cæteris. Mihiq; ſemper manes præſens, omnia opera mea perſpiciens, meq; adiuuare paratus.

Dominica die edita cruce, et inuocato auxilio Dei, meditare beneficiū gloriſicationis, & dic: Gratias ago tibi dulciſſime dñe Deus meus, qui mihi gaudia paradisi cœleſtis præparaſti: videlicet ſupra me diuinitatis fruicionē, redemptoris noſtri, & matris eius glorioſam viſionem. O quantum erit gaudium mihi videre regem cœlorum in decore ſuo, & dominam noſtram virginem Mariam totam gloriſicatam. Circa me paraſti mihi iucundiſſimam ſocietate ſanctorū & angelorū: qui ſpecioſiſſimi ſunt, charitateque pleniffimi & innumerabiles. Intra me, ſtolā & gloriſicationem animæ & corporis, per dotes cōgruentes: extra me, locū ameniſſimū, delicioſiſſimū, ſpacioſiſſimū, et lunoſiſſimū. Subtus me, viſionē mundi, quem cōtempſi, demonū quos vici, et poenarū infernalium quas euafi.

Et alia

LIBER III.

Et alia plura gaudia mihi præparasti, tam multa, vt numerari, tã magna, vt mensurari, & tam preciosa, vt nequeant æstimari.

HÆc & alia exercitia tua omnia semper facies absq; proprietate spiritus, ita vt in quocunq; articulo senseris te gratiose cõpungi, in eo maneat, vel alio trahi a dño, hunc mox sequaris, in spiritu te totum offerendo amabilissimæ voluntati suæ, relictis tali hora tuis proprijs exercitijs. Iuuat etiam sæpius exclamare, & etiam dormituum in lecto dicere: O amator ardentissime. O redemptor benignissime. O amor meus. O gloria mea. O pater meus. O spõse meus. O spes mea. Quando te diligam filiali amore? Quando te ex totis visceribus meis amplexabor? & multa similia, per quæ sæpius ingeminata mirum senties profectum. Dic etiam orationem sequentem affectu ex præuijs meditationibus iam incalcescente & ignito.

Oratio deuota pro mentis illuminatione. Cap. X.

Oriens splendor lucis æternæ & speculum sine macula diuinæ maiestatis, qui es lux vera illuminans omnem hominem ventem in hunc mundum: veni & illumina tenebras cæcitatæ & ignorantie meæ, & da in meo affectu tuam diuinam irradiationem, vt tui desiderio cor meum ardeat & liquefiat, vt te astringere valeã glutino veri amoris. O lux, quæ es lux vera, lux quam videbant Isaac & Iacob, quando caligantibus oculis sicut tu interius docebas, ita filijs exterius futura prædicebant. O lux, quã non videt alia lux, Lumen quod non videt aliud

NN v lumen.

MARGARITAE EVANG.

In istis su-
spirij si-
habueris
purū af-
fectū, sta-
tim sen-
tes Deū
præsen-
tem.

Lumen. Lux a quo omne aliud lumen. Absorbe
me in claritatis tuæ abyssum, vt videam me v-
tiq; in te, & te in me, & omnia alia sub te. O De-
us altissime, qui es incommutabilis & inuaria-
bilis, per te stat honorum omnium virtus, prin-
cipaliter conditiua simul & seruatua. Tu qui in-
creata es sapientia, tu qui a spectu tuo angelos
reficis, atque mentes cœlestes & angelicas tuis
radijs præclaris irradias tanquam viuifica vir-
tus, exaudi me, & remota omni mentis distracti-
one, ad tui desiderium suscita, vt ad aggregan-
tis paternæ charitatis tuæ vnitatem peruenire
valeam, qui es fontale totius vitæ principium,
sine quo omne creatum nihil penitus efficitur.
Ideo te rogo, vt amoris tui dulcedine me ad-
stringas, quatenus per mentis eleuationem ma-
gis ac magis accendar, quousq; ad vnitiam v-
nitatem patris perducatur: vt ipsum per amorē
æstuantem sentire valeam in corde meo, quime
ad imaginem suam creauit. **O** verbum, per
quod facta sunt omnia, sine quo factū est nihil:
verbū per quod dixisti in principio: Fiat lux, &
facta est lux. Ecce tenebræ sunt super faciem ab-
yssi mentis meæ. Ecce nubes tenebrosa super a-
quas cordis mei. Dic etiam mihi verbum: Fiat
lux, vt videam lumen, & cognoscam quid sit lu-
men, quia sine te abest mihi lumē, abest veritas,
abest vita, abest scientia & sapientia. Vnde ego
creatura tua sub ymbra alarum tuarum spera-
bo. In bonitate tua, qua creasti me, adiuua me,
misericordia mea, refugium meum, Deus meus,
adiutor meus. Aperi misericordes oculos tuos,
& intue opus manuum tuarum, & suscipe in
mansuetudine verba gemitus mei, & audi pecca-
torem

LIBER IIII.

orem de luto miseræ ad te vociferâtem, & ve-
ni mihi in auxilium vna æterna substantia, vt
videam & cognoscam te summa virtus, pater
meus, causa mea, salus mea, vita mea, Deus
meus. Exaudi, exaudi, exaudi me. Iam te so-
lum quæro, te solum amo, tui solius iuris esse
cupio, ad te suspiro creatura tua. Creator es,
recrea me. En ad te suspiro factura tua. Plasma-
tor es, restaura me. Reuela oculos mentis meæ,
vt videam te. Beatus ero, si admissus fuero ad
videndum claritatem tuam. Iam enim super
custodiam meam stabo, donec paratum te in-
ueniam. Dic ergo mihi, quo ascendam, vt vi-
deam te. Aperi mihi oculos meos, quibus nu-
tus tuos videam. Aperi aures meas tu verbum
penetrabilius omni gladio ancipiti, vt audiam
vocem tuam. Intona voce grandi & forti. To-
ner mare & plenitudo eius, & doce me, vt col-
laudam te. ¶ Nunquid non ego sum illa creatu-
ra tua, quam ego miserissimam feci, quam tu
domine Deus meus de nihilo bonam creasti, vt
in præsentem tenerem te per gratiam, & te facie
ad faciem contemplerer in gloria? Nunquid
non sum illa miserissima creatura, quam tu pa-
rem angelis fecisti, & sanctæ Trinitatis ima-
gine insigniisti? Nunquid non ego sum illa cre-
atura, propter quam tu domine Iesu Christe a
regalibus sedibus de corde æterni patris, in hæc
vallem miseræ te inclinasti, & meam mor-
talem naturam in vtero virginali assumere vo-
luisti? In qua triginta tribus annis exilium hu-
ius mundi pertulisti. Ad vltimum, diram mor-
tē pro me passus es, vt tua amara morte me ab
æter-

Hæ sunt
theoricæ
locutio-
nes, in quibus se
Deus ani-
mæ plenius in-
fundit.
Sed ne-
cesse est
vt pri-
us bene
perambu-
laue-
ris viam
purgati-
uam pec-
catorum, et
mortifi-
catiuam
vitiatorum.

MARGARITAE EVANG.

æterna morte liberares? Nunquid non ego sum
 illa etiam creatura, quam tu pavisti omnibus di-
 ebus vitæ meæ, bonis tuis corporalibus & spiri-
 tualibus? Cum essem mortuus, vivificasti me.
 Cum essem in tenebris, illuminasti me. Cum es-
 sem nudus, vestisti me. Cum esuriui, cibasti me.
 Cum sitiui, potasti me. Cum erravi, docuisti me.
 Cum cecidi, erexisti me. Cū veni, suscepisti me.
 Cum iui, duxisti me. De multis periculis libera-
 sti me. De multis angustijs & miserijs eripuisti
 me. Ad ultimum, in peccatis meis noluisti occi-
 dere me, sed misericorditer ad hunc sanctum sta-
 tum vocasti, & me tibi in seruum inuilem elegi-
 sti, & multo nobiliores, potentiores & meliores
 in miserijs mundanis reliquisti, & me tibi in ser-
 uum & sacerdotem adoptasti. ¶ Hæc & multa
 alia beneficia mihi contulisti amantissime pa-
 ter, de quibus mihi dulce esset semper tecum lo-
 qui, & semper tibi gratias infinitas referre. Sed
 his omnibus ego miser ingratus, sapius te pro-
 uocaui meis grauibus peccatis, quæ coram te mi-
 serabiliter perpetravi. Quare digno iudicio pu-
 gnare deberet contra me totus orbis terrarum.
 Tibi enim respondere non valeo pro peccatis
 meis, quæ coram te miserabiliter gessi: nec rati-
 onem reddere de beneficijs, quæ mihi contulisti.
 Quomodo ergo placabo te benignissime pater,
 nihil boni habens, quod tibi dem, nisi id quod
 sum? Et hoc ipsum quod sum, non mea virtute,
 sed tua diuina misericordia sum. Et nunc quo-
 modo sustinebit cor meum, vt totis viribus me-
 is, totoq; tempore vitæ meæ diligam, laudem et
 glorificem te tam fidelem amatorem meum, &
 tam liberalem datorem munerum? Non cesset
 citha-

LIBER III.

cithara mea personare cantica laudis & gratiarum actiones glorioso nomini tuo in æternum & ultra. ¶ Hic lege, si placet & tempus suppetit, Psalmum CII. Benedic anima mea domino. Vel Psalmum CXLV. Lauda anima mea dominum. Vel: Te Deum laudamus.

Gratiarum actio pro beneficijs.

LAudo, adoro, benedico & glorifico te domine Deus meus, labijs & corde, & tota, qua possum, virtute, gratias ago infinitæ misericordiæ tuæ, pro vniuersis miserationibus tuis, super numerum arenæ maris, mihi ingratisimo peccatori, omni momento vitæ meæ multipliciter impensis, quibus mihi perditio tam mirabiliter benefacere & subuenire dignatus es. O quantum sum tibi debitor domine Deus meus, tanto redemptus precio, tot & tantis præuentus donis, & tam gloriosis adiutis beneficijs. Inter quæ tamen omnia primatum tenet, & te mihi plus amabilem reddit bone Iesu, calix, quem bibisti, opus redemptionis nostræ: opus vtiq; sine exēplo, humilitas sine modo, gratia sine merito, donum sine precio. Hoc enim a morem nostrum facile vendicat sibi, hoc deuotionem nostram & blandius allicit, & iustius exigit, & fortius stringit, & vehementius afficit. O quantum a me misero estimendus & amādus, benedicendus, laudandus & glorificandus omnibus diebus vitæ meæ, qui me sic amasti, sic saluasti, sic sanctificasti, sic sublimasti. Pro eo namq; quod in creatione animam meam mihi dedisti, eamq; per me perditam in redemptione mihi reddidisti, me totum tibi debeo, & his debeo. Sed pro eo, quod

MARGARITAE EVANG.

eo, quod mei causa tuam animā posuisti, qd tibi reddam dñe Iesu? Nam et si millies animam meam rependere possem, quid sum ad Deum meū pulvis & cinis? Reddā ergo quod possum & habeo, totam scilicet animam meam, totū corpus, totā substantiam, in sacrificium laudis & gratiarum actionis tibi libenter offero, atq; religno. Te nāq; magno desiderio semper laudare, benedicere & amare cupio Deus meus, vita mea dignare me laudare te. Dignare temetipsum glorificare per omnes creaturas & per me. Da mihi lumen in corde, verbum in ore, vt cor meum meditetur gloriam tuam, & lingua mea tota die cantet laudes tuas. Sed quia non est pulchra laus in ore peccatoris, & quia vir pollutis labijs ego sum, munda obsecro cor meum ab omni iniquitate: sanctifica me sanctificator oīpotens interiorius & exteriorius, & fac me dignū laudibus tuis. Te decet laus, te decet honor, te decet hymnū, tibi pro me, oēs angeli, tibi cœli & vniuersę potestates hymnū dicant, & laudes indeliner concinant. Tibi sancti & humiles corde, tibi spūs & animæ iustorum gloriam suppliciter adorantes, decantent: te sanctā & indiuiduam Trinitatem oīs creatura magnificet, oīs spiritus laudet.

Hinc fideliter orabis pro oīnī statu sanctę matris ecclesię: per quod non parę diuinę gratię in te prouocabis influxum, si perseueraueris orando: Obsecra igitur dñm per charitatem, quā nobis ostendit in VII. verbis suis vltimis in cruce, vt misereatur omnibus, videlicet per primum verbū (Pater ignosce illis) propicius sit tuis aduersarijs, q; te læserunt, vel quos tu læsisti: nec nō hæreticis, infidelibus, & hostibus ecclesię. Per
secun-

LIBER III.

secundū verbū scilicet (Hodie mecū eris in paradiso) oībus tuis benefactoribus, dando illis, quā latroni dedit, vitā æternā. Per tertium verbū (Mulier ecce filius tuus) intercedēte pijsissima matre sua, misereat tuis parētibus, fratribus, sororibus, & amicis spiritualibus & carnalibus, tibi-que cōmissis. Per quartū (Deus meus vt qd me de.) oībus afflictis, captiuis, & tēratis, anteq̄ deficiāt. Per quintū verbū (Sitiō) oībus in pctō mortali viuētibus, quorū salutē tātoperē sitiuit, vt cito se corrigāt. Per sextū (Cōsummatū est) oībus iustis ne cadāt, sed proficiāt, & bene cōsummantur. Per septimū (Pater in manus tuas) subueniat oībus in articulo mortis laborantibus, & fidelibus defunctis. Oībus deniq; superioribus & inferioribus, ecclesiasticis et secularibus viris et foeminis, virginib. & viduis, vt Deus det oībus viuīs suā gratiā, et defunctis regem æternā, amē

Vt quis Deo recōciliatus per viā purgatiuam, et excoctus per viam illuminatiuam, secure ascendere possit per viam vnitiuam.

Cap. XI.

VIA vnitua est, qua q̄s bene purgatus & illuminatus, vnitur creatori suo amore purissimo, propter suam solam bonitatem, absque vilo respectu proprii commodi, vt dicit Psalmista: Quid mihi est in cœlo, & a te qd volui super terram? Ad hanc viam requiritur intima recollectio, seu introuersio tui ab exterioribus ad interiora, ab infimis ad summa, a temporalibus ad æterna. Et quod eleues mentem tuam in Deum, excludens omnes vanitates terrenarum creaturarum, easque velut muscas a te repel-

MARGARITAE EVANG.

te repellas, quoties redierint, toto corde a rebus creatis auerso & in Deū conuerso: & quod sis in virtutibus omnibus bene fundatus, concupiscētijs quoq; carnis, & oculorum, & superbia virg mortuus, custodiens internum cum Deo silentium, & exteriora quæq; , tanquam in somnijs occurrissent, contemnens. Et quod dilectio & intentio tua sit purissima & impermixta, nihil nisi Deum quærens, & reputans illum tibi sufficientissimū. Et quod superexaltes eum in corde tuo super omne visibile, imaginabile & desiderabile. Et serues a morosam vnionem cum eo, omnia eius iudicia, omnia facta, omnesq; doctrinas eius cum summa reuerentia amplectendo. Requiritur etiam, vt eius perfectiones frequēter ad memoriam reducas, illisq; intime cōgratuleris. Et quamuis Dei perfectiones innumeræ sint, tamen communiter tres occurrunt, in quibus tuum affectum excitare debes, dicendo: **O** domine mi amantissime congratulor tibi, quia tu es potentissimus: nō quod mihi in hoc bene sit, sed quia tu tam felix sis. Neminem enim times, nullus indiges, nemo te superare potest, nemo tibi resistere, nullus dæmon, nullus aduersarius. Et de hoc in primis gaudeo. **O** domine congratulor tibi, quia tu es sapientissimus. In te ipso enim clarissime & lympidissime intueris vniuersa, scilicet bona & mala, præterita, præsentia & futura, actualia & possibilis, temporalia & æterna, mutabilia immutabiliter, & contingentia infallibiliter. Et hoc totum est perfectionis tuæ, quia nemo te decipere potest, nihilq; te latet. **O** domine congratulor tibi, quia tu es summe bonus, hoc est, summæ perfectionis, quia immutabiliter es bonus

bonus, & ita bonus, quod quicquam te melius cogitari non potest, neq; dignius, neq; nobilius: & quicquid bonitatis in creaturis inuenitur, hoc ipse de tua bonitate participant. Deinde dic orationem sequentem affectu dulciter inflammato & ignito: O domine mi dilectissime, tu es amor meus, honor meus, &c. Et sic tandem oprata impetrabis, si contempto tædio constanter perseueraueris.

Meditationes perfectionum Dei per VII. hebdomadæ ferias. Cap. XII.

SED quoniam utile est incipientem habere aliqua puncta vel verba, per quæ suscitet affectum suum, affabiliter alloquendo dominum in oratione distinguemus hic per ferias, nonnullas meditationes de perfectionibus & laudibus diuinis, in quibus discas gustare, quæ dulcis est dominus. ¶ Feria secunda edito signo sanctæ crucis, & inuocato diuino auxilio, recollectoq; spiritu, assumas personam filij vel sponsæ, & dicas: Congratulor tibi pater & domine mi dilectissime, quia tu es autor essendi, hoc est, alpha & o, principium & finis omnis essentiæ, de quo sic ait quidam:

Huius in arbitrio pendent mortalia quæq;

Qui solus cunctis contulit esse suum.

Qui facit & reficit, creat atq; creata gubernat,

Cuius idem posse quod velle, nec velle minus habet.

Congratulor igitur tibi in tua perfectione essendi, quia tuum esse est perfectissimum esse. Non enim potes cogitari non esse: quia si tu non esses, nihil esset. Deinde, quia a nullo alio habes esse. Et quia omne quod est, a te habet esse.

○○ ¶ Con-

MARGARITAE EVANG.

¶ Cōgratulor tibi pater & dñe mi dilectissime, quia tu es bonitas summa. Nulla nāq; res est bonitatis suæ ita diffusiva, sicut tu. Et bonū quāto cōmunius, tāto melius est. Et quia nulla res est tam cito placabilis, tam desiderabilis, delectabilis & amabilis, sicut tu.

¶ Cōgratulor tibi, quia tu es causa vniuersalissima, quā philosophi ex naturali ratione cognouerunt, vidētes nō esse processum in infinitū, in causis sibi essentialiter subordinatis, sed eas oēs terminari in causa prima, quæ tu ipse es, quam Aristoteles principem vnicum appellat.

Feria tertia factō signo crucis, &c. dic: Cōgratulor tibi pater & dñe mi dilectissime, quia tu es decor vniuersi, q̄ cunctis sūt decorē impartisti. Cuius pulchritudinē sol & luna mirant. In quē desiderāt angeli prospicere. A te habēt decorē pulchritudinis sydera, rosæ, illiæ. A te habēt decorē suavis melodix omnium animalium genera, organa & instrumenta musicalia. A te habent decorē saporis mel, vinum & oia pigmentorum genera. A te decoratū est cœlū sideribus, aer volucibus, terra animalibus, aqua piscibus.

¶ Congratulor tibi, quia tu es æternus sustentator omnium creaturarum. A quacunq; eū modicum si subtraheres tuam conseruationem, statim in nihilum relaberetur.

¶ Cōgratulor tibi, quia tu es fons sapientix, a quā manant oēs sapientix & scientix thesauri: attingēs a fine vsq; ad finē fortiter, & disponens oia suaviter. Qui cœlorū cōtines thronos, & intueris abyssos. Qui appēdis tribus digitis, tua videlicet potētia, sapiētia & bonitate, molē terræ, librās in pōdere montes, & colles in statera. Qui posuisti mari

LIBER III.

Ad mari terminum, ne transcendat fines suos.

Feria quarta factō signo crucis, &c. dic: Congratulor tibi o pater & dñe mi dilectissime, quia tu es gloria mūdi. Te em̄ adorant & laudāt oēs angelici spiritus. Te laudāt e iure vniuersę creaturę. Tu spes nostra, salus nostra, honor noster, gloria nostra, finis & expectatio nostra.

¶ Congratulor tibi, quia tu es abundantissimus. Tua em̄ est terra & plenitudo eius, orbis terrarū & vniuersi, q̄ habitāt in eo. Gloria & diuitiæ in domo tua. Si honoratur diues propter suum aurū, quantū tu honorandus es, qui fecisti aurū, & gēmas, & omnia, quę sunt in cœlo & in terra?

¶ Congratulor tibi, quia tu es incomprehensibilis, magnus quoq; dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis tuę non est finis. Tantę enim es excellentiæ, quod eam nemo potest ad plenum capere, nec homo, nec angelus, nec vlla creatura. Quia omnis creatura est finita, tu vero infinitus: sed finiti ad infinitū nulla est proportio.

Feria quinta signo crucis factō, &c. dic: Congratulor tibi, o pater & domine mi dilectissime, quia tu es charitas, & qui manet in te, in charitate manet, & tu in eo. Et sicut natura ignis est ardere, calefacere & accendere: sic proprietas tuę charitatis est te largissime diffundere, inflammare, ad amorem accendere, redimere, custodire liberare, saluare, misereri semper & parcere.

¶ Congratulor tibi, quia tu es loco incircumscripibilis, & tamen vbique es. Si ascendero in cœlum, tu illic es. Nam vbique regnas, vbique imperas, vbique maiestas tua omnia implet, In inferno quoque ades exercens

OO ij actum

MARGARITAE EVANG.

actum iustitia. Es quoq; tēpore incōmensurabilis: qā tēpus ipse creasti, & ante oē tēpus fuisti.
Congratulor tibi, quia tu es merces sanctorū, iubilus angelorum, expectatio patriarcharum, fundamentum prophetarum, solamen apostolorum, corona martyrum, iubar confessorum, gloria virginum, salus omnium electorum.

Feria sexta signo crucis facto, &c. dic: Congratulor tibi pater & domine mi, quia tu es norma, regula & exemplar omnium rerum. Nam quanto res creatæ tibi sunt viciniores, tanto sunt nobiliores. In extremo nanq; loco sunt, qui solum habēt tecum esse. Viciniores his tibi sunt, qui habent esse & viuere. Deinde, qui habēt esse, viuere & discernere. Postremo, q sunt pura & virtuosa entia, tibi sunt vicinissimi, & inter creaturas nobilissimi. Per candidissimam enim bonitatē tuam est in te omnis exemplaritas, virtuositas & communicabilitas.

Congratulor tibi, qā tu es ordo seu ordinator oīm creaturæ: quas singulas locas secundū statū vel meritū suū, sursum vel deorsum sicut prudēs pictor distinguit colores, vt decoret op9 suū.

Cōgratulor tibi, qā tu es perfectissimus absq; oī defectu: q nullius indigus, tibi ipsi sufficis: q melius, dignius, nobilius aut perfectius nihil cogitari potest. Et qcquid est perfectionis in creaturis, in te est modo excellentissimo et infinito.

Sabbato facto signo crucis, &c. dic: Congratulor tibi o pater & dñe mi dilectissime, qā tu es quietissimus: de quo quidam sic dicit: O qui perpetua mundum ratione gubernas, Terrarum, cœliq; sator, qui tempus ab ævo Ire iubes, stabilisq; manens, das cuncta moueri.

Prin

LIBER III.

Principium, vector, dux, semita, terminus idē,
Tu requies tranquilla pijs, te cernere finis.

Es etiā immobilis & incōmutabilis, quia vbiq;
es. Res autem dicitur moueri, quia tendit ad lo-
cū, in quo prius non fuit. Immobilis autem, quæ
vbiq; est, & nō habet locum, in quem tendat.

¶ Cōgratulor tibi, quia tu es recreator & refo-
cillator omniū fidelīū, qui dixisti: Venite ad me
oēs, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiā
vos. Anima quippe in te radicata, tanq̄ in cētro
suo perfecte quietatur: q̄ vero extra te est, multis
turbationibus, & amaritudinibus laceratur.

¶ Congratulor tibi, quia tu es tibi & omnibus
sufficiētissimus. Qui te habet, totum quod desi-
derare potest, habet. Qui te non habet, mēdicus
est & pauper. Quia quicquid præter te habet, nō
reficitur, non quietatur, nec perpetuo cōtentatur.
Qui autem te habet, finem suum habet, satia-
tus est, nec scit quid vltra quærere debeat. Tu es
nanq; supra omne visibile, audibile, odorabile,
gustabile, tangibile & sensibile. Adhuc altior es
supra omne figurabile, numerale, circūscriptibi-
le. Item altissimus es supra omne demonstrabi-
le, definibile, opinabile, inuestigabile, imagina-
bile, estimabile & intelligibile. Totū em̄ es ama-
bilis, maxime laudabilis, & sūme desiderabilis.

Dominica die signo crucis facto, &c. dic:
Cōgratulor tibi o pater & dñe mi dilectis-
sime, quia tu es thesaurus meus. Vbi em̄
thesaurus meus, ibi & cor meum. Quicquid em̄
mihi aufertur, si tu manseris, sufficit mihi. Desi-
derium enim meū tu es. Vtinam etiam placeres
toti mundo, & totus mundus subditus esset tibi.
Vtinam possem hoc meo sanguine impetrare.

OO iij ¶ Con-

MARGARITAE EVANG.

¶ Congratulor tibi, quia tu es vita, a qua vitæ acceperunt omnia viuencia. In quo viuimus, mouemur & sumus, sicut scriptum est: Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Ipsi honor & gloria in secula seculorum.

¶ Congratulor tibi, quia tu es Christus, qui interpretatur vnctus, & es vnctio, quæ cuiuslibet rei mundi apposita, facit ipsam sapidam. In electis namq; es sapor gratiæ, in reprobis, sapor iustitiæ, & vindex iniquitatis, omnipotēs, sublimis, gloriosus & laudabilis in secula.

CV M igitur prædictas meditationes congratulādo summæ bonitati & perfectioni dilecti tui, singulis ferijs, morose in intimis tuis prætractaueris, forma orationē tuā suspirijs & ignitis affectionibus, mente in Deū eleuata, in corde tuo ad dñm & dilectum tuum, hoc vel simili modo frequenter clamando:

Oratio mente magis, quam ore fundenda pro amorosa vnione cū Deo. Cap. XIII.

O Dominemi dilectissime, tu es amor meus, honor meus, spes mea, refugiū meū, vita mea, gloria mea, & finis meus. Nihil aliud quæro, nihil aliud volo, nihil aliud mihi dicat, nihil aliud mihi proponat, nisi tu Deus meus, quia tu es mihi sufficientissimus. Tu es pater meus, frater meus, nutritor meus, rector meus, custos meus, spōsus meus. Tu es totus amabilis, totus desiderabilis, totus fidelis. Quis tā liberalis, qui seipsum daret? Quis tā charitatus, qui pro tā vili peccatore moreretur? Quis tam humilis, qui maiestatem suam tū humiliaret? O dñe, qui nullū despicias, nullum horres, nullū querentem te des

LIBER III.

te deseris, sed præuenis eum, & occurrenti quæ-
renti. Deliciæ enim tuæ sunt, esse cū filijs hominū.
Quid in nobis inuenisti nisi sordes peccatorū? et
nobiscū vis esse vsq; ad consummationē seculi.
Nonne tibi satis fuisset pro nobis mori, & dare
tot sacramēta, & angelos custodes? Et licet his si-
mus semper ingrati, tamē vis esse nobiscum o-
amantissime pater, quia tam bonus es, q̄ teip-
sum negare non potes. Faciamus igitur cōmura-
tionem simul. Tu intende mihi, & ego tibi. Et si-
cut scis & vis, fac mecum, quia tuus, & non alte-
rius esse volo. Da mihi dñe, vt ego tibi soli intē-
dam, te solum diligam, tui amore semper ferue-
am. Nihil aliud cupiam nisi te, & me motum tibi
offeram, oblatumq; nullatenus reperam.

¶ O ignis me incendens. O charitas me inflam-
mans. O lumen me illuminans. O requies mea.
O refrigerium meum. O spes mea. O thesaure
mi. O vita mea. O amor, qui semper ardes, &
nunquam extingueris. O rex meus & Deus me-
us, accende me igne tui amoris, tui desiderij, tuæ
charitatis, tuæ lætitiæ, tuæ pacis, tuæ pietatis, tuę
que mansuetudinis, vt totus dulcedine tui amo-
ris plenus, totus flamma tuæ charitatis succen-
sus, diligam te dulcissimum & pulcherrimū do-
minum meum ex toto corde meo, & in tota ani-
ma mea, & in tota mente mea, & ex omnibus
viribus meis, cum multa cordis contritione, &
lachrymarum fonte, cum multa reuerentia, tre-
more & timore, te semper habens in corde & in
labijs meis, & ante oculos meos, in omni loco,
ita vt in anima mea nulli priuato amori pateat
accessus, sed transformatus totus in tuum amo-
rem, merear vnus tecum esse spiritus, Amen.

OO iij Com

Compendium viæ vnitiuæ. Cap. XIII.

Licet variæ ad obtinendum charitatis perfectione a sanctis tradantur semitæ in eundem finem dirigentes, hæc tñ omniū creditur facillima, & maxime cōpendiosa, quã diuinus Dionysius, & post eum nonnulli alij docent, videlicet vt per flãmigeras affectiones anima ad Deum cōtinue se leuet, ad ipsum aspiret, eidem loquatur, ipsum attingere, eiq; adhærere gestiat. Hæc semita, hoc exercitiū est illa mirabilis & occulta sapiētia vnitiua, quã idē D. Dionysius mysticā Theologiã vocat: q̃ non multitudine librorum, nec disputationū argutiã discitur, sed extensione affectus in Deum (qua perpetuo excitetur desiderium vehementius amandi Deum, perfectiusq; placendi Deo) quæritur: & diuina irradiatione non torpentibus, sed illis, qui se præparant, facientes, quod in se est, infunditur, & affectione magis, q̃ cognitione frequentatur. ¶ Ad hanc obtinendam, si nondum exercitatos habes sensus, debes in principio exercitiij tui recolligere fasciculum diuini amoris, humiliq; grato & amoroso corde ruminare omnia, vel quædam præcipua amoris insignia et beneficia, q̃ Christus secundū diuinitatem aut humanitatē suam tibi impedit, vt per ea inflāmetur cor tuū igne diuini amoris. Inter omnia vero Dei beneficia, eius amarosam passionē deuotius exercebis. Primo, intuēdo opus & historiæ seriē, vt cōpatiaris. Secūdo, eius modū vt exciteris ad imitandū. Quia in mō patiendi habes oīm virtutū perfectionē, videlicet abyssalē humilitatē, incōprehensibilem mansuetudinē, admirabilē patientiã, & sic de alijs. Tertio, inuendo causam, videlicet eminentissimam ipsius

LIBER III.

ipsius charitatem, quæ coegit eum pro te tã hor-
 ribile subire genus mortis. Vnde considerabis
 diuinitatem eius tanquam internum motorem,
 omnia illa pro tua salute perficientem. Et in hoc
 exercitio conaberis primo loco te in amore e-
 ius inflammare, ipsumque redamare: secundo
 imitari: & tertio eidem condolere. Nam incipien-
 ti vix possibile est absque præuijs meditationi-
 bus, in amore Dei accendi: donec assuefactus tã
 dem absque vlla præmeditatione, quoties volu-
 eris, etiam centies vel millies in die, ipso primo
 reflexu, mentem in Deum leuare & inflammare
 possis. ¶ Ad hanc item sapientiam necessaria
 est tibi puritas cordis, hoc modo obtinenda: vt
 videlicet post debitam conscientia purgationẽ
 bona semper voluntate ad Deum ferueas: vigi-
 lantissimeque ab omni peccato cor tuum custo-
 dias, in vera innocentia, humilitate & simplici-
 tate Deum in omnibus quæras: ipsum habens
 semper præ oculis quasi præsentem. Quandiu e-
 nim in mundo sumus, nisi amor priuatus in no-
 bis fuerit continue succisus, vitia germinabit, id
 est, desideria mala, inclinationes, cogitationesq;
 prauas & vanas, quæ nos a Deo abstrahunt, in-
 quinant, perturbant, impediuntque. Ideo quic-
 qd eiusmodi senseris, si cordis optas puritatem,
 mox debes elidere, & teipsum abnegare, & vbi-
 cunque deprehenderis te non Dei gloriam, sed te
 metipsum quærere, hoc ilico detestari, abijcere
 & persequi. Hoc est enim abnegare teipsum, de-
 sideria tua non solum non perficere, sed velle at-
 que conari etiam non sentire, & tibiipsi, ac omni
 inordinato amori, tam erga te, quam ad creatu-
 ras mori. Profecto, nõ est alia ad Deum via, nisi
 OO v vt

MARGARITAE EVANG.

ut te ipsum exeat atque relinquant, & sine retractatione cordis subijcias te Deo, & hominibus propter Deum: & semper stes paratus resignatusque ad omne beneplacitum diuinum, per quemcumque etiam illud tibi innotuerit, in aduersis eque ut in prosperis. ¶ Debes etiam ad hoc niti, quantum potes, ut animam habeas a phantasmatis & rerum imaginibus, speciebus ac formis nudam ac mundam, & ab omni, ut dixi, inordinata affectione erga te & quascumque creaturas liberam. Ad hæc non parum iuuat, necessariumque est iuge studium cauendi multiloquium, occasiones loquendi, sciendi curiositatem, curas & occupationes inutiles, sensuum affectatam oblectationem, & res etiam necessarias, tam superfluitatem, quam inordinatum amorem. ¶ Porro, vim animæ concupiscibilem iugiter excitabis multiplicando desideria feruentissime castissimeque amandi Deum: habendo etiam in memoria tua paratas multas breues orationunculas, quæ excitent affectum tuum ad amorem, quas D. Augustinus iaculatorias vocat: nimirum cum sint iacula amoris, quibus dulciter vulnerare potes cor domini nostri Iesu Christi. Has corde circumferas, & mente vel etiam ore loquaris ad Deum tibi presentem semper & ubique, quanto feruentius poteris, non modo cum statutas orationes dicis, sed in omni tempore & loco, eundo, stando, sedendo, iacendo, edendo & laborando, assuefias eas ad minus in corde habere presentes, easque dicere aut cogitare, non quidem tepido & negligentem, sed feruido affectu & æstuanti desiderio, ut possis fieri cum Deo, in eius amoris ardore liquefactus. ¶ Propius nancque inflammare te semper poterit cogitantem, quod tantus dominus vilem te vermiculum & tam

LIBER III.

& tam ingrātū peccatorē, prior dilexerit, & se-
 psum pro te tradiderit. Idq; amore nō tepido, sed
 æterno, infinito, totali, gratuito, cōmuni & speci-
 ali atq; beatificatiuo. Quodq; propinquissima co-
 gnatione tibi dignatus est cōiungi, & esse tuus
 pater, frater & sponsus: imo & filius in spiritū, et
 qcquid optare posses, vt hoc totū in eo supra mo-
 dū abundantissime inuenias & possideas. Semp
 ergo sonet hæc vox fidelis patris in auribus cor-
 distui, te ad se reuocantis: Fili mi ad cor redeas,
 ab omnibus, quantū possibile est, teipsum ab-
 strahendo. Mentis oculum semper in puritate et
 tranquillitate custodias, intellectū a formis re-
 infimay præseruando. Volūtatis affectū a curis
 terrenorum penitus absoluas, teipsum abnegan-
 do, & summo bono amore feruido semper inhæ-
 rendo. Memoriam quoq; iugiter sursum eleua-
 tā habeas, per contemplationem diuinorum ad
 æterna tendendo; ita vt tota anima tua cum omni-
 bus viribus suis in Deum collecta, vnus spiritus
 fiat cum eo. In his si fideliter perseueraueris, ma-
 gnæ sanctitatis gradum cito obtinebis, quē ne-
 mo in sua voluntate & sensualitate manens reci-
 pere merebit. ¶ Exēpli gratia subiiciemus ali-
 q̄s huiusmodi iaculatoriay orationū formulas,
 qbus plures absq; numero similes qsq; formare
 poterit. Quas si qs vel simplicissimus affectuose
 frequerit, citius sentiet se mutari, et in chari-
 tate & oī gratia copiosius ditari, q̄ si de secretis
 ecœlestibus millies cogitaret, & omnium scriptu-
 rarum scientiam memoriæ commendaret.

O Amor meus, o sola spes mea, o totum re-
 fugium & omne desiderium meum. O mi
 amantissime, vltimam dignus inueniar.

ve

MARGARITAE EVANG.

vt anima mea tuo dulcissimo fruatur amplexu: imo vt tu in ea, & ipsa in te vicario complexu recreetur, vt sic eius tepiditas ab immenso tui amoris incendio valenter incalescat. ¶ O anima animæ meæ, o vita animæ meæ, te totum desidero, me totum tibi offero: totum toti, vnum vni, vnicum vnico. O vtinam impleatur in me illud oraculum tuum ad patrem, quo dicebas: Pater rogo, vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus. Ego in eis, & tu in me, vt sint consummati in vnum.

O Domine, quando te perfecte diligam? O domine, quando te nude amplectar brachijs animæ meæ? O domine, quando me ipsum & vniuersum mundum cotemnam propter amorem tuum? O domine, quando anima mea cum omnibus viribus suis tibi vnietur? O domine, quando anima mea totaliter & perfecte in te mergetur, & absorbebitur? O domine, ego te totum possidere, & me totum tibi offerre desidero, & vnus in vno æternaliter & inseparabiliter requiescere.

¶ O domine, quando te diligam? Quando te constringam? Quando totus tibi vniar et immergar? Quando totus a tua plenitudine absorbebor? Totum te sitio, totum me tribuo.

O Domine Deus meus, quando te dulcissima dilectione constringam? Quando te strictissimo amore ardentem diligam? Quando tibi totaliter adhærebo? ¶ O Deus superdignissime, miserere mihi indignissimo. O Deus beatissime, miserere mihi miserrimo. O Deus sanctissime, adsis mihi impiissimo. O Deus clementis-

mentissime, propitius sis mihi sceleratissimo peccatori. O Deus misericordissime, succurre mihi ingratisimo.

Animæ amantis ad sponsum suum Iesum crucifixum aspirationes.

O Anima mea introuerte nunc teipsam cū omnibus viribus tuis, & ad Deum tuum eas quæ sequuntur ignitas orationes intus effunde: O Deus meus, trahe me in te, per te, & propter te. O Deus, o vita animæ meæ, qui mortem in ligno crucis interemisti, occide & interfice me, malas videlicet inclinationes & sensuales affectiones ac desideria mea, & quicquid impedimento tibi esse possit, quo minus in me viuere queas. Et cum hoc pacto me occideris, in te solo & in omnibus illis quæ me tibi conformem reddere possiat, hoc est, in amore tuo & obedientia intus in spiritu sequendi instinctus tuos, & extra superioribus meis obtemperandi, deinceps me viuere facias. O bone Iesu, da mihi perfectam ab omni peccato auersionem, & integram ad te Deum meum & virtutes omnes conuersionem, humilemque me ipsius & propriæ voluntatis meæ cotemptum. Largire mihi dulcissime Deus plenam omnium rerum temporalium exteriorumque carnalium sensuum meorum abnegationem. Da mihi clementissime pater, arctam fundi cordis mei ab intra obseruationem, eumque mundum seruare ab omni mala suspitione, prauo desiderio, & iudicio aliorum iniquo. O domine Deus meus, da mihi diuinum amorem, pariter atque timorem tui. O Deus. O lumen, sine te in tenebris consisto. O via recta, sine
te

MARGARITAE EVANG.

te aberro. O veritas, sine te mendax sum. O vita
interminabilis, sine te mortuus existo. O ver-
bum. O lux, quæ in principio dixisti: fiat lux, &
facta est lux, trahe me obsecro in te, & illumi-
na me, vt videre possim lumen tuum & vitare
tenebras, vt videam rectum iter tuum, & erro-
res fugiam: vt videam veritatem, & mendaci-
um deuitem: vt videam vitam, & mortem fugi-
am. O vita animæ meæ, en ex toto mihi mori &
tibi viuere desidero: totum me offerre teque pos-
sidere concupisco. O vtinam impleat in me lva-
uissimum illud verbum tuū, qd loquebaris coele-
sti patri tuo, dicens: Pater, volo vt sicut nos vnū
sumus, ita & ipsi vnū sint, vt ego in eis et ipsi in
me sint, vt sic perfecte vnū nobiscū efficiantur,
sicuti nos vnum sumus, vt ego sim in eis, & ipsi
in amore meo feliciter absorbeantur. O domine
Deus meus transmura me in te sicut ferrum mu-
ratur in ignem: consume in me omnem peccati
rubiginem: accende frigiditatē meam, illumina
tenebras meas, mollifica duritiam voluntatis
meæ, quatenus ipsa semper vnita & applicata
sit diuinæ voluntati tuæ. O Deus meus, sicut po-
tes, sicut scis & vis, miserere mei. O lumen, a
quo est omne lumen, trahe me in te, & absorbe
me in abyssum claritatis tuæ, meque sic totum
illumina, vt te semper in me, & me cunctaque
subtus te existentia in te cernere possim. ¶ Et
Iesu sponse floride, sicut mors transponit animā
a corpore, sic amor tuus animam meam transpo-
nat in te, vt glutino inseparabili adhæreampost
te. Et vt absq; villo impedimento delectet te in
me habitare & operari, fac me per merita san-
ctissimæ humanitatis tuæ, tuis sanctis virtuti-
bus ex-

LIBER III.

bus exornatum, tibi quę perfecte conformem & placentem, in tuo sancto timore, in cordis humilitate, in fraterna charitate, in casta simplicitate, in humili verecundia, in cordis mundicia, in seu suum custodia, & in vitę sanctimonia, in prompta obedientia, in dulci patientia, in spiritali disciplina, in voluntaria paupertate, in morum maturitate, in spiritus hilaritate, & in omni veritate: in bona conscientia, in viscerosa pietate, in fidei constantia, in spei fortitudine, in charitatis plenitudine, in finali perseverantia, & in tuę dilectionis beata consummatione: vt cordis mei spiritum conuertatur in omnium virtutum paradysum, & totius perfectionis rubetum, tanquã ager cui benedixit dominus. Eia Iesu precordialissime, tu semper ita sis mecum, vt cor meum maneat tecum, & amor tuus indiuidue perseueret mecum, & sic a te meus benedicatur transitus, vt compede carnis absolutus meus in te continuo requiescat spiritus, Amen.

Aspiratio anime amorosę ad cęlestem patrem pro vnitiuo amore. Cap. XV.

O Pater Deus infinite potētis, conforta me. O pater misericordiarum & Deus totius consolationis, qui contines mundi machinam in virtute tua, qui nosti omnia antequam fiant, qui audis sine voce mentis desiderium, ad te oculos meos leuo, ad te manus meas expando, ad te animã & intentionē meam conuerto: Quia tu solus es spes mea & gaudium meum: in te cōfidit anima mea. Infunde ergo clementissime pater cordi meo spiritum sapientię & intellectus, spiritum consilij & fortitudinis, spiritum sciētis & pietatis.

MARGARITAE EVANG.

& pietatis, & reple me sancto timore & amore
 tuo. Da irriguum superius, da irriguum inferius.
 Da ut anima mea tota ardeat tui nominis
 dulcedine. Fac me mundo penitus extingui præ
 amoris tui magnitudine. Esto memor verbi tui,
 in quo mihi spem dedisti, & imaginem tuam nõ
 sinas in me perire, & pactum quod pepigisti me
 cum, ne irritum facias propter nomen tuum, sed
 ostende mihi quantum te diligere debeam, &
 infunde in visceribus meis suauissimam dulcedi
 nem amoris tui. O ignis, qui semper ardes &
 nunquam extingueris, veni accende me. O lu
 men, qui semper luces & nunquam obfuscaris,
 veni & illumina me. O amor, qui semper ferues
 & nunquam tepescis, veni & inflamma me. A
 periat mihi misericordia tua, ut gustem dulce
 dinem amoris tui. Sine me loqui apud misericor
 diam tuam, quoniam misericordia tua magna
 est super me. Loquar ad dominũ & patrem me
 um, cum sim puluis & cinis, quia tu intonasti vo
 ce grãdi & forti in interiorem aurem cordis mei,
 & rupisti surditatem meam, & audiui vocem tu
 am & cognoui, quoniam pater meus es. Da er
 go mihi puero tuo benigne pater gratiam te di
 ligendi tota virtute, tota fortitudine, & ex om
 nibus viribus meis, & ex intimis medullis
 cordis mei: quia hoc donum solum tuum est, a
 quo omne donum bonum est. Aperi mihi pul
 santi ianuam cordis tui: ad ostium summe patris
 familias mendicus pulso. Audi desideria rugien
 tium præcordiorum meorum. Ante te est omne
 desiderium meum, & gemitus meus a te non est
 absconditus. Ideo pater misericordissime audi
 ciulatum pupilli tui, & porrige mihi manum tu
 am,

LIBER III.

am, & trahe me post te de profundo aquarum, et
de luto fecis: vt videam diuitias regni tui, & in-
tuear faciē tuam, vt laudem dicam nomini tuo
in æternum & vltra.

Aspiratio animæ amorosæ ad verbum
patris æterni incarnatum pro
vnitiuo amore.

O Affluentissime fons totius sapientiæ,
flos diuini consilij & spiritualis intelle-
ctus, O lumen clarissimum. O inextin-
guibile summæ felicitatis ingenium. O altissi-
ma subtilissimaque profunditas cœlestium se-
cretorū domine Iesu Christe fili Dei altissime,
via omnium visibilium & inuisibilium creatu-
rarum, Deus omnium, origo indeficiēs, qui cun-
cta ex nihilo creasti, qui ambulas super pennas
ventorum, qui habes clauēs mortis & inferni,
cui data est omnis potestas in cœlo & in terra,
omnipotens æterne Deus domine Iesu Christe
clementissime, te rogo supplex, mitte hodie de
excelso cœlorum habitaculo spiritum tuum san-
ctum in cor & in animam meam. Fac vt ange-
li sancti descendant super me & visitent me, do-
ceantque omnem scientiam. Dixisti enim: Dila-
ta os tuum, & implebo illud. Infunde ergo cor-
di meo lumen tuæ sapientiæ, lumen septiformis
gratiæ sacrosancti spiritus tui, quod tuis sanctis
apostolis infudisti: videlicet spiritum sapientiæ
& intellectus, consilij & fortitudinis, scientiæ &
pietatis, & spiritum timoris & amoris tui. Ro-
go etiam te rex regū potentissime, princeps prin-
cipum

PP

MARGARITAE EVANG.

tipum sapientissime, vt lumen claritatis tue sensibus meis infundere digneris, visum illuminando, auditum aperiendo, odoratum, gustum, tactum & loquelam regendo, reficiendo et sanctificando: vt omnes qui me viderint vel audierint, a vitijs resipiscant, & ad te conuertantur. O mago summæ bonitatis domine Iesu Christe, apud quem omnis sapientia & sciētia requiescit, qui tuorum cœlestium secretorum profunditatem a sapientibus & prudentibus huius mundi abscondisti, & reuelasti ea paruulis, fac me etiam humilem & paruum in oculis meis: & da mihi intellectum & sapientiam, vt viuam. Mite mihi spiritum sanctum consilij, tu qui es magni consilij angelus, qui cor, mentem, sensum, phantasiam & intellectum meum purificet & illuminet: & cor meum tui saporis dulcedine reple, vt te semper sitiam fontem sapientiæ, fontem æterni luminis, vt nō obliuiscar verborum tuorum, quia declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis. Illumina ergo tenebras mentis meæ lumine tui splendoris, quia tu es fons vitæ, vt in lumine tuo videam lumen.

Aspiratio animæ amorosæ ad spiritum sanctum superdulcissimum pro vnitiuo amore

O Spiritus sancte paraclite, a patre filioque procedens, qui abundantissime in die sancto Penthecostes tuis apostolis apparuisti, perfectam charitatem, intelligentiam & eloquentiam omnium linguarum eis tribuisti: tibi supplico, quatenus labia mea & cor meum repleas lumine gratiæ tuæ, & in visceribus meis dul-

LIBER III.

is dulcedinem amoris tui clementer infundas.
Veni mundator scelerum, curator vulnerum.
Veni fortitudo fragilium, labentium releuator.
Veni doctor humilium, destructor superbiorum.
Veni spes pauperum, deficienteum refocillator.
Veni omnium viuētium singulare decus, mori-
entium vnica salus. Veni miserere mei, & co-
pta me tibi, vt omnium amabilium donorum tu-
orum capacissimus fiam. Veni et inebria me do-
no sapientiæ. Illumina me dono intellectus. Re-
ge me dono consilij. Confirma me dono fortitu-
dinis. Doce me dono scientiæ. Vulnera me dono
pietatis. Et confige me dono timoris tui. O super-
dulcis amator mundicordium, accende cor me-
um, illustra ac perflue intima mea illo sublimi, si-
gnito suauisque ardore astuantis, ineffabilis & in-
finiti amoris tui; vt omnia interiora mea fundi-
tus incensa & penitus concremata, ex omnibus
viribus suis, valido impulsu tuæ suauissimæ
charitatis sursum agantur & intrahantur, ad li-
quesendum ex nimio calore in te supermira-
bili origine superdulcique fonte vitæ, dulcissi-
mis delicijs exuberante, & omnes puros spiritus
satiante. ¶ O superdulcis amator, quoniam
a meipso nihil possum, quæso vt tu me susci-
pias & cogas exire & relinquere me ipsum
totum, & transire in te. Ad hoc percute, trahet
& impelle me sursum, & deorsum. Pauperem
fac & dita, humilia & subleua. Mortifica &
annihila me, donec me transmutes in te: vt
tota vita mea efficiatur tibi holocaustum
laudis, beneplacens & perfectum, & tua ma-
iestas iucundam in me mansionem habere
PP ij possit.

MARGARITAE EVANG.

possit. O quis mihi tribuat, vt ad tantum bonum me admittas? O quando dabitur mihi videre ac sentire dulcissimam claritatem tuam? En ad te suspiro paupercula creatura tua die ac nocte. Sitiuit anima mea ad te Deum fontem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem tuam plenam gratiarum? Quando introibo in locum tabernaculi admirabilis vsq; ad domum Dei mei? Quando adimplebis me læticia cum vultu tuo, vt satier, cum apparuerit gloria tua? Quando in te eripiar a tentatione, & in te Deo meo mortis huius transgrediar murum? O tu fons sempiternorum luminum, repete me in tuum (ex quo manauit) abyssale profluum: vbi te cognoscam sicut cognitus sum, amem sicut amatus sum, & videam te Deum meum si cuti es, visione, fruitione & possessione tua beatifica in perpetuum, Amen.

Oratio efficacissima ad impetrandum charitatem & quælibet necessaria per virginem matrem. Cap. XVI.

O Sanctissima & beatissima virgo Maria, dignissima mater Dei, regina cœli, porta paradisi, domina mundi, stella maris, mater gratiæ, vena misericordiæ, cuius speciem rex æternus concupiuit, quæ procedis velut aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata, cuius odor vestimentorum est super omnia aromata, quæ ascendis per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris & vniuersi pulueris pigmentarij, virga de radice Iesse, quæ fructum vite

LIBER III.

vita nobis germinasti, templum domini, sacrarium spiritus sancti, quam veneratur omnis militiae coelestis exercitus, sub cuius honoris culmine sese humiliant pontifices, cuius sese submittunt reges & imperatores, quam beatam praedicant omnes generationes, cui subiectae sunt omnes inferorum potestates: Ad sanctitatis tuae pedes domina, quae tanta praemines excellentia, veniens, me prosterno ego abiectissimus in tota Dei creatura peccator, obsecrans te per charitatem, qua te Deus ab aeterno delegit sibi in matrem, dilexitque & exaltauit super omnes creaturas, et per virginis cordis tui erga filium amorem & dolorem incomparabilem, & per omnia viscera maternae misericordiae tuae erga nos miseros, ut me meosque speciales, & pro quibus orari vis, in gratiam & amorem, in tutelam ac patrocinium cordis tui suscipias, & fac nos in illorum esse numero, quos singulari gratia in corde tuo habes dilectos, impignoratos & tibi deuotos. O dulcissima mater, quaeso ut indignas orationes nostras & gratiarum actiones, tuis purissimis orationibus et laudibus vnitas, filio tuo offeras, & exaudiri procures: castissimum tui amorem, virtutesque omnes sanctissimae vitae tuae, maxime autem perfectam charitatem, humilitatem, castitatem, obedientiam & patientiam nobis impetres: in omni necessitate, & in morte, ut fidelissima protectrix nobis assistas, ab vniuersis peccatis & vitis nostris, per sanguinem filii tui nos in hoc seculo perfecte mundari, eiusque & tuis virtutibus exornari, atque ardentissimae charitatis incendio consumi, & in aeterna foelicitate in Dei facias laudibus sine fine tecum laetari.

PP ij ¶ O Ma-

MARGARITAE EVANG.

Quia Maria potentissima, per patrem me corroborata, ut agam semper optima, spe firma & humillima. Mater sapientissima, per Iesum me illumina, ut noscam Deo placita, mente pura, fide pia. Sponsa gratiosissima, per spiritum me vulnera, charitate purissima, dulcique patientia. Per tuum virgo filium, per patrem, per paracletum, ad sis praesens ad obitum, nostrumque mundi exitum, Amen.

Exhortatio & consilium solidum cuiusdam viri heroici, theologice vetusti, quomodo quis se praepararet ad securam mortem, & quoniam hominibus in ea eveniunt, iam primum Latine traductum. Cap. XVII.

Ah mortales, mortales hucusque satis dormitatum est. Evigilate tandem, & laethalem hunc somnum ab oculis excutite: somnum (inquam) peccatorum & multiplicium vitiorum. Ad vos clamat ipse Christi Apostolus, dicens: Hora est iam nos de somno surgere. Quin ad unumquemque vestrum idem acclamat vir Dei: Surge (inquens) qui dormis, & exurge a mortuis & illuminabit te Christus. Agite nunc, abiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Ambulate dum lucem habetis, dum adhuc modicum lumen in vobis est, ut vos tenebrae non comprehendant, sed potius ut sitis filij lucis. Abradamus fratres charissimi, abradamus peccatorum nostrorum senectutem. Quod quidem non

LIBER III.

non baptismo, sed pœnitentiã rectissime poterimus, si vetustatis rubiginem defricemus ab oculis, & vt dixi, somnolentiã discutiamus. Cur enim vel tandem non expergiscamur, vt in posterum vitam agentes correctiorem, aduersus diaras & nimium horredas angustias armemur. Hic de miserijs illis infandis loquor, quæ nos in extremo vitæ spacio certo certius oppressuræ sunt: tum de his periculis, quæ coram seuerissimo Dei iudicio, omni ex parte aliquando, & breui fortasse cõprehendent: tũ de aduersarijs illis, qui illic adfuturi sunt: aduersarijs (inquam) in nos coniuratis, ac omni rabie, tyrãnide, furore quam validissimis. Quid? En ille iudex ad ianuam assistit. En dominus ad iudicandum venit cum senioribus populi. Adeoque in presentiarum stat ad iudicandum, paratus iam iam pro tuis meritis refundere mercedem. Nisi conuersi fueritis, gladium vibrauit, arcum suum tetendit & parauit illum: & in eo parauit vasa mortis. Age igitur, non ipse tui ipsius inuideas salutem, dum tempus est, dum occasio datur, dum inueniri Deus potest & placari. Disce o homo, disce a tenebris redire ad lucem, a vitijs conuerti ad Deum, & e mundo saltem in teipsum: nec velis in vacuum recipere gratiam Dei. ¶ Quod si modo Christi seruens amor tuam segnitiam refellere non potest, si cœlestis patriæ dulcedo te non tangit, si mille & mille patris piissimi beneficia duritiam tuam non remolliunt, si sacra demum omnia apud te nihil valent: audi, sempiternus pœnarum horror tantum vel ex parte moueat, illique cruciatus te sollicitum reddant, qui circa vitæ extrema

P.P. iij. diris.

MARGARITAE EVANG.

durissime totum hominem corripunt, adeo ut
omnem cogitationem superet dolorum magni-
tudo. Deus profecto, quem iudicem omnes ha-
bituri sumus, non irridetur, non fallitur vllis fu-
cis. At si quos mortalium nunc fallimus, ne-
minem certius tamen veriusq; fallimus, quam
nos ipsos. Interim o duras hominum mentes, o
caeca pectora, non aliter, quam ad nos ista non
pertineant, surda nunc aure transimus, & omnis
nostrae salutis incurij viuimus tanquam ventris
animalia, quibus nullus gehennae metus est.
Veruntamen, ut ad poenitentes me conuer-
tam, o fratres profusis lachrymis iram Dei re-
moueamus. Inaudita sentimus mala, Deo sic
puniente & nostram succidente malitiam. Ali-
orum exitium intelligimus, praesentem malo-
rum lernam his oculis contuemur vltro citro-
que. Quare tempestiuum est, ut ista duritiam no-
stram penetrent, & saltem alienis calamitati-
bus docti, meliores euadere cupiamus. Quan-
do vero sapientiae & salutis omnis principium
est timor domini, opere precium facturus vide-
or, si eorum quae timorem hunc in nobis confir-
ment, breuiter admonuero. Proinde, nonnulla fi-
deliter exponam de iudicijs illis Dei discernen-
dis, quae animabus e corporibus migrantibus
obuenire solent: idque faciam, quatenus intelle-
ctu humano rem tantam consequi licet, quem ad-
modum a diuinis hominibus inspirante Deo tra-
dita accepi.

**Genera hominum quatuor ex hoc mundo
migrantium.**

Morien-

LIBER III.

MOrientium siue ex hoc seculo migrantium hominum in summa quatuor genera sunt. ¶ In primo genere statuuntur sancti perfectique homines, plene iam depurati, ita ut accipiendis quibusuis Dei donis ab æterno quidem præparatis optime idonei existant. Quibus ex hoc seculo demigrantibus, nulla superest luenda pœna, sed statim omnis exhibetur lætitia, consolatio & quies, ut hisce commodis in perpetuum fruantur felicissimi. Ad hos proprie spectat dulcis vox illa domini: Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.

¶ Secundi generis homines sunt varie differentes. Horum aliqui ad prædictum perfectionis gradum a Deo fuerant vocati: verum ad res transitorias, siue ad proprium sui amorem, commodum & utilitatem conuersi, non pure vixerunt. Alij vero, ob ingenij sui subtilitatem intellectusque abusum, a veritatis via ad peregrina aberrantes sibi que placentes, suis proprijs sensibus falsisque verbis arroganter inhærent: sicque suis profundis ingenijs in profundos prolabuntur errores. Et quanquam hi speciem quandam præ se ferant vitalis doctrinæ, ledunt tamen miseri semetipsos, & omnes suos sectatores a via veritatis in errorem & mortem æternam. Tales mortem experiuntur longe omnium formidolosissimam atque periculosissimam, propterea quod sanis ecclesiæ doctoribus non acquieuerunt. Sunt & alij in hoc secundo genere, & hi quoque a Deo ad priorem, quem prædiximus, perfectionis gradum vocati, quam tamen quia in vita sua obtinere neglexerunt, ideo necesse habent illam vel

PP v in ex

MARGARITAE EVANG.

In extremis impetrare, quum anima de corpore iam iam distrahenda est. Quod certe tunc fit tam varijs & horrendis mortibus, vt ita dicam, quot quantasque per omnem vitam pro sui ab negatione sufferre debuissent, adeo vt pœnas infernales hoc ipso tempore sibi ferre videantur. Idcirco vero terribili hac angustia nunc præmuntur, quia videlicet humili abstractaque sui custodia interius proximam veritatem non sunt sequuti, sicut a Deo & sanctis doctoribus ad hanc inuitabantur. Alij denique huius secundæ generis homines sunt, quibus a Deo magnatum spiritualia, tum corporalia dona, siue per naturam, siue per gratiam sunt collata, cuiusmodi sunt omnis generis prælati, nec non sacerdotij dignitate fulgentes, religiosi item, inclusi quique & claustrales: præterea, quibus vigor ingenij, sensuumque dotes inditæ sunt. Denique quotquot iurisdictionem & potestatem in alios exercendam a Deo sumpserunt, siue spirituales, siue seculares iudices habeantur. Huiuscemodi hominum, quum vita suo non responderet officio, iuxta ordinationem Dei, sed si seipos potius quærant, si commoda venientur temporalia, vel honorem appetant contra honorem & iustitiam Dei, tum sane huiusmodi formidabiles experiuntur angores in morte. Quinetiam illorum nonnulli perditionem inveniunt sempiternam, multoque damnantur grauius, quam ipsi Iudæi & pagani. Nonnulli vero in purgatorij pœnas inexplicabiles detruduntur, nec eas breues quidem, sed ad extremum iudicij diem calamitosissime sufferendam.

¶ Tertium genus ab hoc seculo migrantium, sunt

LIBER III.

funt vulgares & plebei . Horum quoque duplex
 habetur differentia : Nam alij peccatis onusti
 mortalibus, ad extrema deueniunt. Sed quia non
 nullis virtutibus eorum vita resplendit , a do-
 mino conseruantur, ne prorsus pereant . Et hos
 homines multis modis vltro citroque per mi-
 sericordiam suam venari & propellere solet,
 quatenus ad veram peccatorum suorum poenit-
 entiam adduci queant . Sic & in morte cum e-
 is agitur clementius , non poenae nimium gra-
 ues , non austeria iudicia Dei morituris inge-
 rantur, ne fortassis in diffidentiam prolabantur.
 Igitur ad purgatorium deducti , mirum quam
 terribilibus ibi tormentis diuexentur, quae inter-
 dum ante iudicij diem non finiuntur . Nam il-
 li, qui magnis peccatis in vita sua inquinati, &
 assuefacti, vsque ad mortem poenitentiam pro-
 crastinant, & in fine cum modica contritione
 moriuntur , adeo seueram iusti iudicis iracun-
 diam aduersum sese concitant , vt in poenas de-
 trusi , supplicia quaedam velut infernalisa subire,
 & in his extremum Dei iudicium expectare co-
 gantur: dum interim adeo grauiter plectuntur,
 vt nesciant misericordiae locum sibi superesse
 apud Deum. Quae poena omnium atrocissima iu-
 dicatur. Iratus enim illis Deus omnium illorum
 memoriam & curam abieciisse videtur , quam
 diu meritas luendi poenas tempus hoc durat. Sed
 nec permittit iustus ille iudex , vt pro his ipsis
 sancti & amici sibi homines intercedant.

Quod autem atinet ad poenam purgatorij,
 certe minima illic poena , & acerbior & vehe-
 mentior multo est, quam quoduis sit supplicium
 huius

MARGARITAE EVANG.

huius temporis omnium etiam atrocissimum, quantumvis ingens humana mens illud excogitare possit. ¶ Alij deinde cōmūnium hominum in Deo timore viuunt, sibiq; cauent a peccatis, communicant etiam ecclesie sacramentis iuxta institutionem ipsius ecclesie. Sed interim circumferunt & impunita prætereunt venialia delicta. Cū igitur ad extrema deuenerint, mitius, quam priores, Dei iudicium experiuntur. Nec impune tamen euadunt, quin mortui cogantur expiare pœnas tam venialium peccatorum, quam illorum mortalium, quæ prius aliquando commissa, licet confessi sint, non debito tamen pœnitentiæ dolore expiarunt. ¶ Cæterum quotquot domino Deo permitente, nunc in varias tribulationes incidunt, aduersa itidem tristiæ voluntario gratoque animo suscipiunt, hi non solum a prædictis malis angustiisque liberi sunt, sed etiam æternæ consolationis vbertate refocillantur, & cœlestibus plane gaudijs perfrui merentur.

¶ Quartum tandem genus morientium eos omnes complectitur, qui peccatis mortalibus obnoxij, vitam finiunt citra contritionem & confessionem. Hi nimirum damnati vocantur & sunt, quibus in ipso mortis articulo miserrimum ingeritur spectaculum, nempe vastum illud pœnarum tormentorumque chaos, ac dira congeries perpetuo illis duratura. Iam tum ibi sentiunt vermem conscientie, qui non moritur, sentiunt & gehennam ignis, qui non extinguitur.

¶ Quod ad bonos angelos attinet, hi se bonorum morientium præbent custodes, & in extremo quodam angustie seruore confirmant animam ipsam
circa

LIBER III.

circa superiores ipsius vires, quo sic adiuta non frangatur minio tentationum impetu, neve succumbat concessa demonum aspectu nimium horrendo. Quo tempore sanctus quoque Michael vna cum coelesti exercitu sententiam iudicis praestolatur, vt animam quo Deus pronunciauerit, statuatur. ¶ Quod deinde ad malos angelos attinet, hi non secus, quam ferissimi leones in praedam inhiantes, circumferunt & insidiantur morituris, dum horum animas in omnibus viribus, per quas consensum aliquando praebuerunt diabolis suggestionibus, grauissime constringunt, conantes, quibus possunt, modis animam secum pertrahere in aeternae damnationis barathrum. Accedunt illuc & infernales demonum principes, & principales veluti duces & capita septem peccatorum mortalium: accedunt, inquam, simul ad moriturum, suum in eo locum requirentes. Et secundum quod homo plus minusve peccauit, & sic absque contritione, vel praenata licet contritione & confessione, absque tamen satisfactione & perfecta emendatione, ad extrema deuenit: secundum hoc etiam plus vel minus infixit omnia sua peccata & vitia cum terribili & ineffabili horrore, ad animum reuocant, obtrudunt & improperant, vt desperet.

¶ Ad haec opere precium est animaduertere triplicem tentationum viam, quibus humani generis inimicus, vt plurimum solet impetere, iam iam extremis constitutos. Primum eos aggreditur, vt peccatorum antea commissorum incurios negligentesque faciat, nimirum lactans eos falsa quadam spe seu praesumptione, & praesumpta confidentia de Dei misericordia, manente interim tepida

MARGARITAE EVANG.

tepidā cordis contritione, tunc praesertim, ubi
quis adhuc sui compos est, & animo valet. Re-
liquae duae tentationum viae locum habent in
angustia mortis, videlicet desperatio de Dei bo-
nitate, & perfidia seu infidelitas. Verum qui pri-
mum tentationis laqueum superauerit, a posteriori-
bus damna non sustinebit.

Interim o homo rationalis te nunc appello, vt
praecellentem creationis tuae conditionem intel-
ligas. Autorem habes tibi Deum, qui te forma-
uit ad imaginem & similitudinem suam. Redem-
ptorem habes Deum, qui te morte tam acerba,
tam ignominiosa vindicauit, abstraxit & eue-
xit ex ipsis faucibus inferorum, vnde nullus tibi
parebat egressus. Ille vero, ille pater ac dominus
tuus te nunc quaerit, totum sese tibi effundit pro-
ximatq;. Nec id semel tantum, sed etiamnum te
vocat secundum abyssum miserationum suarū,
qui nihil tuorum indiget, pro te sollicitus, tibi pro-
uidus agit: idq; multo fidelius ac libentius, quam
vel tu queas aestimare, vel ille amicis suis velit
reuelare. Eapropter non est o homo Christiane,
cur peccatorum tuorum, vel magnitudine, vel
multitudine desperes. Pius Deus cor contritum &
humiliatum non despiciet. Imo quacumq; hora
peccator de venia sperans ingemiscit, gratia illi
non negabitur. Primus tamen salutis gradus est
declinare culpam. Secundus, non desperare ve-
niam. Etenim in aeternum ille punit seipsum, qui
quis apud summum iudicem poenitentiam ne-
gligit. Vides paternam erga te Dei clementiam, q̄
ad poenitentiam peccatores oēs inuitat, nolens
mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur ex-
vuiat: ne postea sua iusticia inueniat, quos durius
dam-

LIBER III.

damnet. ¶ Vbi vero (sicut semel statutū est omnibus mori) morbū ingrauescere senseris, & ad extrema deuentū erit, sequere consiliū hoc longe saluberrimū. In primis piorū sanctorūq; hominum orationes & exhortationes adhibēdæ sunt. Nec parum cōducit tales homines morientibus præsentes adesse. Iam pietatis opera, quæ post mortē, non absq; fructu, homini possunt applicari, simpliciter consultius est eadē in mortis necessitate constituto præstare, cum alioqui neque prius quidem, neq; posterius præsidia spiritualia sunt æque necessaria. Singulariter profuerit & illud, vt huiuscemodi verba dicātur ab infirmo vel ad eius aures elata voce clamentur. ¶ Domine Deus, ego sum miser homo ille, quem tu paternā bonitate & potentia tua creasti propter te ipsum & ad te ipsum. ¶ Domine Iesu Christe, ego sum ille miser, quem tu per ignominiosissimam & innocentissimam mortem tuā redemisti ab omni potestate inimici. Tu ergo solus imperium habes, & potestatem super me. ¶ Dñe Deus ego sum homo miser, quem tu saluare potes secundū abyssum misericordiæ tuæ. Experiētia cōpertum est, & sanctorum autoritate cōprobatur, huiuscemodi verba morientibus recitata mirum in modū prodesse. Fuit vir fide dignus, qui ad horum prolationem verborū affirmari multiplicem dæmoniorum turbam a se profligatam fuisse, cum iam iam ad tartara sibi rapiendus videretur, animo vere præsentis. Regi autem seculorum immortalis, inuisibili, soli Deo (qui hanc perutilem nobis doctrinā hactenus occultā per amicos suos reuelare dignatus est) sit omnis honor & gloria in secula seculorum, Amen.

ALPHA-

ALPHABE

TVM AVREVM OM

nibus ad Christianam perfectionem as-
pirantibus non modo vtile, sed adeo
necessarium, vt spiritualis vitæ
fundamentum habes-
ri possit.

Cap. XVIII.

AD inchoandam vitam bonam, adeo te
accingi forti ac constanti animo oportet,
vt nulli labori, nulli difficultati scias esse
cedendum.

Bona agere & cauere mala quomodo possis
semper præmeditare, & melius operari indices
stude.

Confidera in omni re medium, & eam discre-
tionem vbique serua, vt ne quid nimis, ne quid
minus.

Deuotus esto ac hilaris ad omnia bona, & abs-
que murmure obedias.

Esto castus tam corpore, quam anima, ac in cõ-
tatis alijs sincerus, quæcunq; cordis aduerfantur
puritati a te excludens.

Fideliter te in operibus exerceas misericor-
diæ, tam spiritualibus quam corporalibus, nul-
lam boni operis negligens occasionem.

Gloriæ alienæ nõ inuideas, nec aliena siue cor-
poralia siue spiritualia sint bona, appetas, sed es-
to contentus diuina providentia circa te: & om-
nibus bonis indignum te æstima.

Humi-

Humilia teipsum in verbis & operibus, ac
exteriorem tuum hominem omnibus subiice ex
animo, intus vero teipsum contemne ac contem
ni gaude.

In simplicitate cordis omnia intellige, & in me
liorem partem interpretare.

Karitas in te semper æstuet cum fide firma &
spe secura ad Deum. Ad omnem vero proxi
mum exhibe te sicut ad teipsum.

Linguam tuam a malis & ociosis verbis con
tine: pro peccatis vero tuis ad lachrymas, ad cõ
punctionem, & ad vitam abstractam te conuer
te.

Mitis & mansuetus esto ad omnes, & nihil tibi
occurrat, ex quo non ædificationem accipias,
& melior inde fieri studeas.

Non retrospectas ad seculi negocia, nec ani
mo verferis circa creaturas negligenter, sed vt
spiritu semper proficias annitere: & proposi
tum tuum ac consilia bona, quasi iam primum
incepturus, quotidie & renoua, & magis robo
ra.

Omnem acediam, teporem, molliciem & in
dulgentiam propriam violenter a te propelle &
vince.

Patienter ferto quicquid tibi aduenerit aduer
si, siue id a Deo, siue ab homine, siue ab alia qua
uis creatura illatum fuerit, pro diuini beneplaci
ti amore, & in peccatorum tuorum pœnitenti
am id assume.

Quicquid præter simplicem necessitatem na
turæ se ingerit, tam cibo quã in potu, aliave qua
cunq; re, hoc tibi abstrahe: & consolationes om
nes, quæ sunt extra Deum, fuge.

QQ Re-

Remitte oēs iniurias aut molestias ex corde
ijs, qui te offenderunt, vt neq; verbo, neq; cogi-
tatione in te appetitus vindictæ resideat, quo
minus eos diligas ac benefacias.

Serua ad omnes homines sine dolo ac fictione
veritatem & fidem,

Tērationibus carnis, mundi atq; diaboli vir-
liter resiste.

Voluntatem in te propriam persequere, & ra-
dicitus eandem in te stude mortificare: Deoque
strenue inhære.

Xhristi vitam & passionē imitandā, & quam
dissimilis huic sis exemplari, continue meditare,
omniq; conatu quantopere vales, ei conformari
stude.

Yndefinenter beatam Mariā aliosq; sanctos,
pro impetranda tibi gratia, quæ ad hæc prædi-
cta seruanda est necessaria, inuoca.

Zelare Dei honorem præ omnibus, & homi-
nem tuum tam internum, quam externum perpe-
tuo sic obserua & cohibe, vt subditus Deo, eius
que inspirationibus, & vicarijs eius acquiescas,
pacemq; habeas in omnibus, quæ circa te, aut
alias quascunq; creaturas ille fieri permittit.

E T vt sine murmure aut contradictione hæc
a te seruetur lectio, bona te voluntate alacrem
ac promptum semper exhibe,

QVIN